ACTA
SOCIETATIS IABLONOVIANAE
DE
HENETIS
VANDALIS
DE
LACV MVSIANO
CHVNIS
CVNIS SLAVANIS
ANNI MDCCLXXIII.

TOMVS IV.

LIPSIAE
EX OFFICINA LOEPERIA
CIϽ IϽCC LXXIV.

Quod felix faustumque sit excitandis acuendisque nunc et olim ingeniis, auctoritate Celsissimi Principis non sine magna voluptate et Tibi, Lector beneuole, et vniversae reipublicae litterarum nuntio, hoc institutum ante sexennium fere sub auspiciis Iablonouii nostri ortum, et insigni ejus liberalitate sustentatum, auctum, ornatum, Academiae Lipsiensi sub nomine societatis Iablonouianae sacrum, perpetuum et aeternum fore. Agnosce in tam illustri monimento Celsissimi Auctoris et Instauratoris insignem liberalitatem, antiquitatum et historiarum exi-

mium amorem et, quae virtus tanto Viro digna eſt, raram in amore conſtantiam; et nobiscum precare Deum, vt optimus Princeps in incrementum litterarum et bonarum artium decus, ſenectute fruatur in ſeros annos feliciſſima videatque Auguſtum Principem paternarum laudum et domeſtici exempli aemulum et imitatorem perpetuum. De ſumma Principis doctrina, qui perpetuis laboribus aliis exemplo eſt, et inſigni modeſtia, qua ornamentum a Brabeutis ſibi adjudicatum in alium virum doctum transferri juſſit, nihil dicam, ne videar eam ipſam virtutem, qua imprimis gloriam ſibi immortalem peperit, offendere. Iam vero Tibi trado, Lector beneuole, ipſius Principis aliorumque Virorum clariſſimorum ſuper Henetis, Vandalis et Lacu Muſiano lucubrationes, quae absque vllo partium ſtudio, aequiſſimis judicibus, more ſolemni,

pro-

propter rerum antiquarum ſolertem indagationem praemiis ornatae fuere, et in quibus edendis nulla alia cura ad me pertinuit, quam vt ea, quae ipſi erudite ſcripſiſſent, fideliter et accurate Tibi traderentur.

Quod ſi vel ex hac parte expectationi Tuae non vbique ſatisfecero, cogites, rogo, in amplitudine tanti et tam varii operis animum facile frangi et debilitari potuiſſe.

Vnum addam, quod in laudem litterarum taceri vix poteſt, maximam partem hiſtoricarum aut mathematicarum diſſertationum, quarum ad triginta ex remotiſſimis terrarum oris ad nos Lipſiam delatae ſunt, quanquam ex ratione inſtituti Principalis ſolemni praemio ornari non poterat, tamen, aut dimidio praemio ornatam, aut certe, quia vel ſumma liberalitas ita late patere non poterat, a Brabeutis publice laudatas fuiſſe. Libel-

lum

lum doctissimum, et praemio auctum, de distantiis inaccessis metiendis, me inuito, desiderabis; auctor enim multis officiis litterariis et domesticis impeditus, exemplar, quod sibi ad corrigendum aut augendum repetierat, nondum ad me perferri curauit. Tu vero, Lector beneuole, Academiae Lipsiensi, antiqua laude et magnorum virorum indefessis laboribus florenti, nouum decus et ornamentum, quod Celsissimo Maecenati nostro Iablonouio soli debetur, gratulare. Vale et mihi faue.

CHRISTIANVS AVGVSTVS CLODIVS
PROFESSOR PHILOSOPHIAE ORDINARIVS.
COLLEGII MAI. PRINC. SODALIS.

IOSE-

IOSEPHVS ALEXANDER
DE VINDIS PRVSSIIS
ET SACR. ROM. IMP. PRINCEPS

IABLONOWSKI

ORDIN. S. SPIR. MICHAELIS ET HVBERTI EQV.
TORQ. ACADEMIAR. PARISINAE ROMANAE
PATAVINAE BONONIENSIS SOCIVS
PALATINVS NOVOGRODIENSIS

DISSERIT

DE HENETIS VANDALIS
DE LACV MVSIANO,
CHVNIS ET CVNIS SLAVANISQVE.

Manilius.

Quot post excidium Trojae sunt eruta regna?
Quot capti populi? quoties fortuna per orbem
Seruitium imperiumque tulit, varieque reuertit?
Trojanos cineres in quantum oblita refouit
Imperium? fatis Asiae iam Graecia pressa est.
Saecula dinumerare piget, quotiesque recurrens
Lustrauit mundum vario sol igneus orbe?
Omnia mortali mutantur lege creata.
Nec se cognoscunt terrae, vertentibus annis
Exutae, variant faciem per saecula gentes.

VIRO CLARISSIMO ..... S. D.
IABLONOVIVS PRINCEPS.

Incredibili voluptate Vir Clariſſime, me affecere Tuae litterae, animi Tui erga me et ſummi candoris fidiſſimae interpretes, ex quibus intellexi, Te inſtituti mei vniverſam rationem et operam eruendis rerum geſtarum monumentis a me datam probare et laudare, nullo tamen vel amore, vel partium ſtudio a tuenda veritate deterreri. Non enim Tibi videor ſatis certis argumentis demonſtraſſe, *Henetos* eſſe *Medos*, a Graecis Sarmatas Sauromates h. e. Sauromedes dictos, eosque nunquam Scythas fuiſſe. Quoniam vero facile potuit accidere, vt in tanta operis amplitudine, fractus ſcribendi labore animus meus defatigaretur, vel Te perpetua lectione debilitatum quaedam argumenta a me haud obſcure propoſita, fallerent, decreui primum omnes eas veterum aut recentiorum auctoritates, quibus ſententia mea ſparſim in libro meo firmata eſt, in vnum locum conferre, deinde alias, quae poſt ſcriptum libellum a me repertae ſunt, addere, vt vno quaſi intuitu perſpicere poſſes, quibus teſtimoniis et quam firmis ſententia a Te impugnata ſtabiliri poſſe videretur. Qua in re vt appareat, me bona fide verſari, et plus teſtimoniorum ipſorum grauitati, quam artificio eloquendi tribuere, remotis omnibus verborum lenociniis et ornamentis, nudas auctoritates et verbis Scriptorum ſimpliciter expreſſas, meisque Scholiis illuſtratas, ita proponam, vt ſe mihi legenti obtulerunt.

SYNOPSIS LOCORVM EX QVIBVS APPARET HENETOS FVISSE MEDOS ET VARIA DE HENETIS.

Primum locum teneat auctoritas Herodoti, ad quem in ipso perpetuo opere meo appellaueram, et qui quamquam ex parte obscurus et vetustate corruptus, tamen aperte docet antiquissimam eam et ipsius gentis fuisse traditionem, Henetos ex Medis oriundos. Sed verba ejus ipsa apponam „ Sepulturae quidem Thracum hujusmodi sunt. Quod autem hujus regionis ad Aquilonem vergit, nemo potest pro comperto referre, quinam homines eam incolant; sed illam, quae trans Istrum plaga est, constat vastam esse atque ignotam; vbi solos audio habitare *homines nomine Syginas veste Medica vtentes*, eorumque equos toto corpore hirsutos esse, ad quinque digitos altitudine pilorum, eosdemque pusillos ac simos inualidosque ad viros gestandos, sed currui junctos esse pernicissimos atque his curribus indigenas inuehi. *Horum fines proxime accedere ad Enetos, qui sunt in Adria. Eos quoque se colonos Medorum dicere qui quo pacto coloni Medorum fuerint* equidem non queo dicere, sed fit quidlibet intra longum tempus. Sigynnas, Ligures, qui supra Massiliam incolunt, institores appellant. Cyprii iacula. Verum, vt Thraces ajunt, apes loca, quae sunt trans Istrum obtinent, et ob illas vlterius pergi non potest. Quae quum dicunt, haud credibilia apud me dicunt, quoniam constat, hoc animal frigoris intolerans esse. Sed mihi videntur loca, quae septentironibus subsunt, ob gelu inhabitabilia esse. Hactenus de hac regione, cujus oram maritimam Megabazus Persis obedientam reddidit.

284. et 285.

DE HENETIS EORVMQVE FATIS QVAEDAM EX DIVERSIS AVCTORIBVS ET TRADITIONE VETVSTA.

Pars Henetorum, oras omnes ab Adria versus Aquileiam, vsque ad Sigynnos Danubium incolentes, occupauere atque olim Aristotelis auctoritate, *Medi sunt dicti*. Aucto illorum numero, nescio, qua caussa ducti, pars versus Orientem se contulit et se cum Paphlagonibus et Armeniis conjunxit, quod patet ex loco Scymni Chii infra laudando. . . Heneti Mare supra dictum accolentes vrbem Aquilejam vt caput prouinciae tenuere, dictique sunt Enetes Krayni, hoc est in confiniis vel oris habitantes, vt nos Albam Russiam, eodem verbo Ukraniam dicimus. Antiquissimus hujus gentis populus intra Tanaim et Boristhenem habitans per Lithuaniam, ad Mare Balthicum tendebat, vbi paullo post non *Heneti* sed Venedi dicti sunt. A Ziemovit, Polonorum Principe magna clade affecti, ita a Germanis coerciti sunt, vt praeter Pomorsh' Myszensh et Zgorcelsde, hoc est Pomeraniam Misniam et Brandeburgum, nihil retinerent.

Victae gentis reliquiae vt Seruitium vitarent, versus fines Poloniae migrarunt, et ad pedes montium Morauiorum consederunt, quorum incolae vsque ad hoc tempus Hanates dicuntur. Atque illi quidem Moraviam tenuere Venedes, Vendes, exemplo veterum Henetorum dicti. — „Haec omnia, supra in notris breuiter apposita, propterea repetenda putaui, ne Tibi forte exciderent.

Accedat Cluuerii de loco Pliniano Sententia et Bocharti coniectura. *Cluuer. p. 477. ad c. 21. in not. Reiskii.* „Interim haud absurde Plinius lib. V. c. 7. *Dein Tanaim*

colunt

colunt Sarmatae, inquit, *Medorum, vt ferunt, soboles, et ipsi in multa genera diuisi. Pomponius* quoque *Mela* L. IV. c. 3. *Sarmatae, gens habitu armisque Parthis proxima.* Quoniam vero Media et Parthia plurimum conueniebant, Bochartus ideo conjectat, dici Sarmatas ex Chaldaeo idiomate שאר מדי *Sar-Madai* quasi Medorum reliquias: vt ad vnum ex Iapheti filiis potentem, ad Madai nempe Gen. X. v. 2. referantur.

Xerxes f. teste Herodoto a Scythis plane abstinuit, sed in bello cum Graecis Moschos, Mosinochos, Asiae populum Persarum tunc subditum in Exercitu habuit. *Ms. Apographum Vralii* eos eosdem cum Moschis esse, *Hebersteinius* Metro-Moschuam in Asia non Europa sitam in suis Commentariis testatur.

Scymnus Chius, antiquissimus scriptor, quippe qui circa annum nonagesimum ante Christum natum floruerit, in orbis descriptione inter veteris Geogr. Scriptores Ed. Oxon. 8vo reperienda, v. 368. seqq. haec habet: „Dein-„de est Adriaticum mare dictum. . . Sinum docent „Adriaticum multitudinem quandam barbarorum circum „habitare . . . regionem colentes optimam fructuosam-„que. *Henetorum* sunt quinquaginta vrbes, sitae ad sinum. „Henetos transgressos esse, aiunt ex Paphlagonum regio-„ne, et habitasse circa Adriam; etc. Quid clarius „loco Liuii lib. I. c. 1. „ Constat casibus variis Anteno-„rem cum multitudine Henetum, qui seditione ex Pa-„phlagonia pulsi, et sedes, et ducem, Rege Pylaemene „ad Trojam amisso, quaerebant, venisse in intimum „maris Hadriatici sinum: Euganeisque, qui inter mare „et Alpes incolebant, pulsis, Henetos Trojanosque eas „tenuisse terras: et in quem primum egressi sunt locum, „Troia vocatur, pagoque inde Trojano nomen est, gens

„vni-

„vniuerſa Veneti dicti. Ad quem locum Creuierius „notauit, ex illa origine pagum quendam agri Veneti „ad noſtram vſque aetatem Trojani nomen retinere, id „quod teſtimonium Liuii egregie confirmat.„ Confirmat eandem ſententiam vnus ex antiquiſſimis Romanorum Scriptoribus Cato apud Plinium l. 3. c. 2. et inter Poëtas Virgil. Aen. L. I. v. 247. ſeqq. Silius Italic. lib. 8. v. 604. ſeqq. aliique. Dignum etiam obſeruatu eſt, teſtari Seruium ad l. c. Virgili, Aenetiam olim dictam fuiſſe, quae nunc Venetia appellatur.

LOCA QVIBVS PROBATVR

Henetos dictos fuiſſe Sarmatas, Sauromates, Syromedes.

Diodorum Siculum auctorem eſſe fide digniſſimum, non ex fabuloſa traditione ſed poſt multa per maximam partem Europae facta itinera, ex rerum natura et certis diuerſarum gentium teſtimoniis hauſiſſe nemo ignorat. Audiamus igitur illum L. II. (Edit. Weſſ. T. I. p. 155. ſic diſſerentem. — „Majorem in modum haec „natio creuit, regesque habuit memoratua dignos, ex qua „Sacae et Maſſagetes et Aramaſpi (maſſagatas Nouo„zemblos hodie dicunt Perſarum inſtar vel nunc Solem „adorantes) aliique plures aliis nominibus indigitati „originem ducunt. A regibus illis cum aliae tum duaeo „maxime Coloniae ex gentibus bello ſubactis deductae „ſunt; quarum altera ex Aſſyriis in Agrum Paphlago„niae et Ponto interjectum translata, altera ex Media ad „Tanaim collocata fuit, cujus populi *Sauromatae* nominan„tur. Appianus p. 759 ex Illyriis ait, Celtiſque Scordiſci „praecipue; ac Medi Dardanique in Macedoniam ſimul, „ac Graeciam excurrerunt &c.„ quo cum loco conferan-

tur, quae a nobis supra de Macedonibus dicta sunt. Vidantur porro *Tacitus* de Mor. Germ. cap. 46. *Venedi multum ex moribus traxerunt.)* Ex Sarmatarum et Venedorum similitudine, qua hi multum ex illorum moribus traxerint, colligit Tacitus probabile videri alicui posse, Sarmatis accensendos esse Venedos. Verum id ipse refellit, dum addit. „Hi tamen (nempe Venedi) inter Germanos po„tius referuntur, quia et domos figunt etc. „ Errare autem Tacitum, dum Venedos Germanos facit, vel ex lingua vtriusque gentis plane diuersa et tot aliorum scriptorum testimoniis, quae Venedos Sarmaticae non Germanicae originis fuisse, certis argumentis ostendunt, patere videtur.

Plinius qui alio in loco, supra laudato, quasdam terras habitari ad Vistulam vsque fluuim a Sarmatis, Venedis, Scyris, docuerat lib. VI. c. 7. „Tanaim omnem, inquit, gemino ore influentem inco„lunt Sarmatae, Medorum, vt ferunt, soboles, et ipsi in „multa genera diuisi, primo Sauromatae Gynaecocra„tumeni: vnde Amazonum connubia etc.„ Atqui Strabo opus Geographicum Tiberio, Plinius historiam naturalem Vespasiano dicauit, Tacitus, vero coaeuus Plinii, non multo post, Nerua imperante, libellum de Germanis conscripsit. Itaque Venedorum adhuc recens, nec ipsorum Sarmatarum Europaeorum valde accurata notitia erat tempore Taciti, qui si cognitum habuisset, qualis quantusque Sarmatarum populus esset, quot in nationes diuisus, profecto ex eo, quod vna ex hisce nationibus Germanis vicina, ex Germanorum moribus, vt fieri consueuit, aliquid traxerat, hanc non ipsis propterea statim Germanis attribuisset. Ita enim Veneti maris Adriatici

acco-

accolae, moribus quidem, teste Polybio lib. II. p. 147. edit. Gronov. cum Gallis vicinis consensere, sed nec origine, nec lingua Galli fuere. Caeterum quod in Taciti l. c. legitur, Venedos domos *figere*, id commodum sensum non parere recte obseruauit, Vir doctissimus nobisque amicissimus Ernesti, quo auctore legendum est: Domos *fingunt*, quam lectionem omnes editiones veteres et bonae ante Lipsium habuere. Fingebant nempe domos Venedi e luto, vt rustici nostri, cum Sarmatae reliqui in plaustris figerent veherentque. Adde Iustini auctoritatem L. 41. cap. 1. *Sermo Sarmatis inter Scythicum Medumque medius, ex vtroque mistus.* Gentes igitur affines fuerint oportet, quia sunt ejusdem originis, cujus Parthi Medique fuerunt, ejusdem patris *Madai* ptogenies. Quid igitur? cum Riphatre Noachi abnepote Riphaces Pomponiani, si qui extiterunt, vnam e Sarmatis gentem constituunt? Riphaea vero juga polo arctico vicina ab Europaeis Sarmatis nimium quantum distant.

HENETOS VEL MEDOS AC SAVROMATAS NON FVISSE SCYTHAS.

Herodotus, p. 43. ed. m. „ Cyaxares. . . Ninum obsidente ingruit ingens Scytharum exercitus, duce Scytharum rege Madye Protothyae filio: qui Cimmeriis ex Europa ejectis in Asiam eruperunt, et dum illos fugientes persequuntur, ita in *Mediam* penetrarunt. Est autem a Lacu Maeotide ad Phasim vsque et Colchos, expedito viatori iter triginta dierum, e *Colchis* vero non ita longo itinere peruenire potest in *Mediam:* sed vna duntaxat natio interiecta est Saspires: quos vbi transieris, continuo occurrit *Media.* Scythae tamen hac non irruperunt,

perunt, ſed alia via ſuperiore et multo longiore deflectentes, Caucaſo monte ad dextram relicto. Hic *Medi* cum Scythis congreſſi, praelioque fuſi Aſiae imperium amiſerunt. Porro Scythae vniuerſa Aſia potiti, hinc recta in Aegyptum contendunt. — Niſi igitur Scythae ſe ipſi vicerunt, vt ille Plautinus Soſias per ſe vapulavit, abſurdum foret dicere, Medos a Scythis victos, fuiſſe Scythas.

p. 52. 53. Idem auctor alio loco: „ ſunt ibi inquit, Arteatae, Perſae, Paſargadae, Meraphii, Maſii. Sed horum Paſargadae praeſtantiſſimi, in quibus et Achaemenidarum cognatio eſt, vnde Reges Perſidae ſunt oriundi. Alii Perſae hi ſunt, Panthelaei, Deruſiaei, *Germani:* atque hi omnes aratores. Alii vero pecuarii, Dai, Mardi, Sagartii. Vbi cuncti adfuerunt habentes quod eis erat praeceptum, ibi Cyrus jubet locum quendam dumoſum (erat in Perſide is locus, circiter decem et octo aut viginti ſtadiorum) totum detergant intra diem.

p. 227. Nec non apud eundem haec verba leguntur. „ Supra hos habitant (quae ſecunda portio eſt) Budini, terram colentes totam, omni arborum genere abundantem. Supra Budinos (qui Sarmatae erant) ad Aquilonem, ſtatim excipit ſolitudo octo dierum itineris.

p. 226. Trans flumen autem Tanaim, Herodotus ait, non eſt regio *Scythica,* ſed prima Laxiorum *Sauromatarum*, qui a receſſu paludis Moeotidos incipientes, incolunt tractum, qui ſpectat Aquilonem, itinere dierum quindecim vacuum prorſus arboribus, tam agreſtibus, quam fructiferis.

p. 232. Sic alio loco„ Octauus eſt Tanais, inquit, qui ſuperius ex vaſta palude profluens in aliam vaſtiorem diffunditur nomine Moeotin, quae discludit regios *Scy-*

thas

thas a Sarmatis, quibus verbis nihil poteſt eſſe accuratius et ad definiendes vtriuſque populi fines, clarius dictum. Adde ejuſdem Scriptoris verba.

„Sauromatae putantur lingua *Scythica* ſoloecizare, id *eſt corrupte vti* quod etiam eam ab initio non probe didicerint Amazones. Vel ea quae ſequuntur: Voce porro *Scythica vtuntur Sauromatae* jam inde a priſco ea ſoloeciſſantes etc. Vel, *vſitata eſt autem Sauromatis* vox *Scythica* ea *Soloeciſſantibus jam* inde a *prima Origine* etc. *Si* Sauromatae Scythieam linguam aegre didicerunt et ſoloeciſmis ac barbariſmis corruperunt non potuit vtrique eadem lingua fuiſſe vernacula. Quid? Geloni et Budini et Sauromatae concordi animo receperunt, ſe *Scythis* auxilio fururos. Nonne hic apertis verbis Sauromatae a Scythis diſtinguuntur? Nec illa ſunt negligenda. „Agathyrſus autem et Neurus et Androphagus et Taurorum Melanchlaenorum reges, ita Scythis reſponderunt: Si vos in injuria facienda ac bello inferendo priores non fuiſſetis, recte videremini precari, quae precamini: et nos veſtris precibus morem gerentes, idem quod vos ageremus: nunc vos ſine nobis illorum terram ingreſſi, imperitaſtis Perſis, quamdiu Deus vobis indulſit etc.

p. 255.

p. 256.

His illi auditis repente retractis duabus *Scytharum* partibus et nunc *Sauromatarum* cum Budinisque ac Gelonis terras recta ad Iſtrum via perſequuntur vtpote plerosque pedites et itinera neſcientes, ea praeſertim quae divortia habebant, ipſi equites et compendia viarum ſcientes.

p. 261. 262.

p. 850. Sarmatas etiam non debere confuudi cum Scythis, iisdem argumentis probari poteſt, ductis a moribus, veſtitu, lingua, armis, legibus, politia et authoritatibus antiquitatis, finiumque deſcriptione. Nam regiones a Tanai vſque ad Rhenum, Sarmatae non Scythae poſſidebant, vt ex Beroſo et aliis hiſtoricis et Coſmographis liquet.

p. 859. Ex his deſcriptionibus liquet, Moshorum populos habitaſſe in illis Montanis Cappadociae; et quemadmodum nunc vicini ſunt noſtrae gentis hominibus, ita et tunc non procul a Paphlagonibus habitaſſe, noſtris Henetis. Vtraſque vero gentes iſtas eadem lingua tunc vſas fuiſſe, ſicuti et nunc, teſtis eſt Strabo lib. eod. „Paulo „poſt autem, inquit, Henetos qui expeditioni non inter- „fuerunt Cappadoces eſſe factos.„ Ac videtur adſtipulari huic ſententiae id, quod omnis Cappadocia, quae appropinquat ad Italiam, et pone Paphlagoniam porrigitur, vno ſermonis genere vtitur, et vocabulis Paphlagonicis abundat. Quando autem et quas ob cauſſas ex Cappadocum regione in ſeptentrionem proceſſerint Moſchi illi, non ita ex ſcriptoribus liquet, ſed credibile eſt vel furoribus Mithridatis ceſſiſſe, cum eos vrgeret diutorno bello vel quod timerent Romanorum arma vltricia, quia tres cohortes Pompeii deleuerant.

Kleczewsky. p. 10. ex Plinio: Tempore Plinii ait h. e. anno 70. aerae Chriſtianae, erant celebriores *Scythis Sarmatae*, adeo vt, *Scythae* nomen *Sarmatarum* ſibi imponerent. *Andreas Cellarius*, p. 18. Nullam tandem modo ci-

tatur

tatus Auctor Comes Opalinsky in Polonia defenſa contra Barclajum conuenientiam inter Slauos et Scythas, agnoſcit, quorum poſteriores ad Europae fines ad Aſiaticos populos remittit, omni religionis morum et linquae commercio vtrisque ademto-

Ex quibus omnibus patet mirabilis ſcriptorum conſenſus, Scythas a Sarmatis eſſe omnino diſtinguendas. Confirmat hoc argumentum auctoritas Polybii, qua probatur, Venetos lingua vſos eſſe ab ea quae caeteri Italiae ſuperioris Incolae vtebantur, plane diuerſa, quod linguae Venetae, egregie conuenit.

VENETOS SEV HENETOS ILLYRIOS NON FVISSE GALLOS.

Denique quod attinet ad Venetos in Gallia et quidem in hodierna Britannia minore (quo loco nunc eſt Vannes olim Venetum ſeu Venetiae, caput gentis) degentibus, horum Venetorum aliquoties Caeſar mentionem fecit. Ad hos Venetos etiam pertinuiſſe inſulas complures, quae Veneticas appellatas, Plinius docet hiſt- nat. lib. 4. c. 19. ad quem locum Harduinus commentator Plinii obſeruat, inſularum Veneticarum ferme ducentas eſſe, in his praeſtantiſſimam Caloneſum, hodie Belle-Isle. Iam hos Venetos Gallicos ejusdem originis adeoque eandem gentem cum Adriaticis fuiſſe, certum eſt, nec ipſe Strabo dubitauit. Id non ſatis liquet, an ipſi ab Adriaticis Venetis profecti, tanquam Coloni in Gallium appulerint, an Adriaticos in Italiam ex ſe Colonos miſerint, qua de re Strabo dubitanter loquitur. Nobis quidem prior ſententia, quam et alii probarunt, verior videtur.

 Omnis

Omnis nimirum antiquitas consentit, Henetos ex Asia profugos fortunarum sedem in regionibus Adriam circum jacentibus collocasse. Quod si abinitio statim in Galliam appulissent, de Gallia potius fama et rerum gestarum scriptores retulissent. . . Contra vero si a Venetis Italicis Gallici deriuantur, omnia sibi conueniunt optime. Scilicet priscorum Henetorum siue Venetorum numerosa gens, quae in Adriatico sinu consedit, patriam linguam retinuit, qui vero posteris temporibus ex hac gente coloni multo minore numero in Galliam migrauere, hi, cum inter medios Gallos agerent, et commerciis cum his atque Britannis, quorum eadem fere lingua, Celtica, scilicet erat, ditari vellent, facili negotio permoti fuere, vt Gallorum mores atque linguam sequerentur (retento forte aliqua linguae avitae in vita domestica vsu) quod ipsum aliis etiam Coloniis accidisse, sexcentis exemplis non ex antiquiore solum, sed ex recentiore etiam historia repetitis constat.

Geographus Rauennas, qui scripsit circa Saeculum VII. (nam accuratius tempus; quo floruit, definire non licet) l. 5. c. 25. ed. Porcheronianae Par. 1688. 8vo. „In Patria inquit, Venetiae sunt aliquot insulae, quae hominibus habitantur etc. In Golfo autem Gallico diuersae „ponuntur Insulae, ex quibus aliquas designare volumus, „id est Boleniam. . . Crotiam, Enauiam etc. . . „ Mirabitur ne aliquis, me in his nominibus tam arcte secum conjunctis, et in tanta populi Veneti propinquitate, in Enauia quidem Enetos, in Bolenia autem Poloniam, quae (vti jam ab aliis obseruatum V. c. a Lengnichio de Polonorum majoribus §. 4.) apud scriptores latinos antiquiores non raro vocatur Polenia, Bolenia, Polliana, denique in

Crotia

Crotia insula Croci Polonorum Ducis, vnius e Lechi successoribus nomen deprehendere? . . Nonne apparet Polonorum nomen dum Anonymus Rauennas scriberet, hoc est Saeculo VII. jam innotuisse.

Liv. Lib. I. c. 1. Ex consensu totius antiquitatis. Veneti in Italia indigenae non sunt, sed aduenae, qui, pulsis Euganeis, ea quae possident loca per vim occupauere.

Opinio vero, Venetos Italicae e Gallia venisse, solius *Strabonis* conjectura nititur, qui habet. „Hos ego Venetos (de Gallis loquitur) existimo Venetiarum, in Adriatico sinu esse autores: cum alii Paphlagonibus, quoniam illi quoque Heneti seu Veneti appellantur, id adscribant, L. IV. p. 211. Terra Venetos e Gallia in Italiam non venisse certum est: nouimus enim accurate nomina omnium populorum Gallicanorum, qui, inde a Tarquinii Prisci temporibus, in Italia sedem fixere. Fuerum autem *Bituriges, Aruerni, Senones, Haedui, Ambarri, Carnutes, Aulerci, Cenomani, Salluuii, Boii, Lingones*, Liuius L. V. c. 34. et 35.

Negari quoque non potest, ab hisce Gallis, Germaniam incolentibus, sedem in Italia, et quidem in Venetorum ditione quaesitam esse. De hac re Liuius, L. 39. c. 22. „eodem anno (V. C. DLXV.) Galli Transalpini „transgressi in Venetiam, sine populatione aut bello, haud „procul inde, vbi nunc Aquileia est, locum oppido con„dendo ceperunt etc.„ Huic accedit, quod Veneti in Italia ea loca, vbi nunc degunt, multis saeculis ante Gallorum in Italiam et Germaniam aduentum jam possederint. Hac de re Liuius L. V. c. 33. ita scribit „Tusco„rum, ante Romanum imperium, late, terra marique opes

„patuere. . . Hi in vtrumque mare vergentes incoluere „vrbibus duodenis terras, prius cis Appenninum, ad in„ferum mare: postea trans Apenninum totidem quod ca„pita originis erant, coloniis missis: qua trans Padum „omnia loca, excepto *Venetorum angulo*, qui sinum cir„cumcolunt maris, vsque ad Alpes tenuere.„ Et post eorum aduentum in perpetuis rixis et altercationibus cum Gallis vixerunt. De his inimicitiis, praeter *Liuium*, qui passim earum mentionem facit, testimonium exhibet *Polybius* Lib. II. p. m. 111. et 112.

Tuscorum colonias Transpadanis Gallis multo antiquiores esse, demonstratione non eget. Ante harum coloniarum deductionem vero Veneti in Italia jam aderant: Hinc est, quod *Polybius Venetos* Italiae gentem antiquissimam (Γενος Παλυπαλαιον L. V, p. 105. et quidem in oppositione Gallorum, de quibus in antecedentibus verba fecerat) appellat.

Linguam Venetorum in Italia vero a sermone Gallorum penitus fuisse diuersam testatur, qui hoc optime scire poterat, *Polybius*, l. c. postquam Gallorum populos, Italiam incolentes, enumerauit, sequentem in modum pergit. „Quod superest deinde spatium, ad Adria„ticum vsque sinum, alius populus longe antiquissimus „obtinet, quos vocant *Venetos*, moribus quidem et cul„tu parum a Gallis diuersos, sed alia *vtentes lin„gua*.„ Ex his Polybii verbis apparet, *Venetorum* linguam a sermone Gallorum haud parum discrepuisse; vnde et ipse *aliam gentem* id est, a Gallis diuersam eos appellat Venetos ex Asia. Haec sententia, inquam, mihi probabilior videtur et primo quidem ideo, quod melioribus nititur testibus Polybio l. c. nimirum,

Liuio L. V. Cornelio Nepote, citante Plinio maj. VI. c. 2. et Catone. Liuius sic scribit L. I. c. 1. „*Troja* vocatur pagoque inde *Trojano* nomen est, gens vni- „versa Veneti appellati. „

Venetos Trojana stirpe ortos autor est *Cato*, inquit idem Plinius L. III. c. 19. His testibus fide dignis, quodammodo jungere possum testimonium *Dictiis Gnossii*, qui Antenorem Paphlagonum Ducem, post Trojae excidium, in Adriatico mari nouas fixisse sedes memorat. Vt enim hic liber suppostititius sit, monstrat tamen, quid de Paphlagonum fuga, Neronis aetate, Cretenses judicauerint; Cretensium vero judicium, pondus addit verbis Liuii scribentis: „ *Constat inter omnes etc.* „

Veneti non solum in Italiam, sed etiam in Illyricum Colonias deduxere. Hinc inter Illyrici populos, Strabonis aetate, fuere, qui appellarentur *Dardani*, idest *Trojani*. De qua re *Strabo* l. 5. Dardanorum vocabulum, sensu latiore sumtum, significat *Ciues Asiae*.

Hic ante omnia reminiscendum est consuetudinis veterum, vbi populus sedem mutare vellet, quaerendi periculorum socios. Itaque Bituriges, Italiam inuasuri, non venere soli, sed juncti iis gentibus quas superius recensui. Ita Cimbri, cum Gallias inuadere vellent, non venere soli, sed aucti copiis Teuveti, Galtonum, et Heluetiorum Florus Lib. III. c. 3. Ita Hellias inuasuri, non venere soli, sed aucti copiis Sueuorum, Bojorum, multorumque aliorum populorum .Caesar de Bel. Gallico: L. I. c. 29. Pari modo Paphlagones, in Europa sedem quaesituri, fulti auxiliis *Medorum*

rum

rum et *Colchorum* venere. Ratio hujus diligentiae semper erat: *Nequa gens arcere aduenientes posset. Liuius Lib. V. c. 34.*

En Tibi, Amice candidissime, veterum et recentiorum consensum non fictis sed veris auctoritatibus firmatum et illustratum. Noli delicias facere sed gloriosum puta fateri Te auctoritatibus victum esse. — Quod reliquum est, repetitionibus nostris noli irasci. — Scripsimus ομηρικως. — Recentiorum auctorum sententias non propterea laudaui, vt eorum auctoritate Herodoti Diodori Plinii aliorumque fidei aliquid accederet, sed vt appareret Cluuerios aliosque viros doctos veterum auctoritates eadem ratione, qua ego feci, interpretatos fuisse. — In vniuersum et huic dissertationi et reliquis acribile tumentem aut superbum castigatorem deprecor. — Scias, et Tecum sciant omnes qui, vel casu, vel diligenter in haec mea opuscala venient aut incident, me, principem patriae amore, magnisque officiis litterariis et domesticis occupatum et plane oppressum, haec omnia ea mente scripsisse, vt exemplo meo viderent historiarum amantes, nil sine multo labore et perpetua lectione in rebus historicis perfici posse.

PRINCIPIS IABLONOVII
AD VIRVM CL. . . . . . EPISTOLA DISSERTATIONI DE VANDALIS ADDENDA.

Vir Clarissime

Litteris Tuis mihi redditis admiratione affectus sum, digna Tua doctrina; nec minori gaudio, cum Tibi meum de Vandalis opusculum non displicuisse intellexissem. Ego vero velim, persuasum Tibi habeas, Tuas obseruationes mirum in modum me delectasse, meque operam daturum, vt desiderio Tuo satisfaciam in ea re, quam Tu necessariam esse judicas. Omne vero Tuum iudicium, Celeberrime Professor, huc fere redit, vt me ad *Procopium* animum aduertere, deinde *Irenico* respondere, ac tandem *Cromero*, ciui, vt ais, meo aliorum scriptorum auctoritates opponere debuisse censeas.

Cum Tu *Procopium* commemoras, Tu, quod pace Tua dixerim, mea non satis attente perpendisse videris. Duo enim contra vos proponi possunt argumenta. Vnum inde repetitur, quod cum multi ex Vestris scriptoribus asserant, quos nos Vendos appellamus, Latini autem Venedos, vacuas ad Albim Vandalorum sedes inuenisse, Vobis ipsis *Procopius* repugnat. Is enim diserte dicit, Vandalos, qui in patria substiterant, cum de ciuium fortuna et deuicta ab eis orbis parte audiuissent, legatos misisse ad regem Gensericum, qui peterent, vt sibi alteram hereditatis partem cederet. Rex vero Gensericus sue gloriosum sibi ratus in Europa

aeque

aeque ac in Africa regnare Romanorum more, siue ad omnes imperii vires sustinendas, pro sua prudentia patrimonium conseruandum arbitratus, non sine indignatione legatos dimisit, eo, quod petierant, recusato. Ergo jam fatendum Vobis est, auctoritate *Procopii* victis, Venedos, Vilzos aliosque, in Vandalorum regiones ad Albim profectos, eorum ibi inuenisse reliquias, et cum iis in vnam coaluisse gentem, si cum Clotario et Dagoberto Regibus Francorum bella gesserunt. Altissimum enim est in historia de reliquiarum Vandalicarum migratione silentium, adeoque dici non possunt Venedi Vandalorum sedes deprehendisse vacuas.

Et quamuis eundem textum habeas in hoc opere, idem est vel ad paginam . . remittere, vel hic repetere ob Chronologiam in fine, et alias rationes additas. „Nempe *Procopius* ait, cum pressi fame Vandali e pa- „triis sedibus demigrarent, relicti sunt nonnulli quibus „obstitit blandiens inertia, quominus sequerentur *Godi-* „*gisclum*.„ (Graeca pronuntiatione Godysclauus, rectius Godyslauus debuerat dici, quod nomen frequentatum est apud nos, imo in domo antiquissima Ducum Meklenburgensium.) „Procedente tempore illi residui lar- „gam habere annonam visi sunt, et Gisericus cum suis „Africam occupauit. Cuius rei nuntius laetitiam iis „adtulit, qui comites Godegisclo se non addiderunt, „ad hoc enim res bene comparatas videbant, vt sua „ipsis regio satis praeberet, quo vitam deinceps tolera- „rent. Sed veriti, ne olim vel illi ipsi, qui Africam ob- „tinuerant, vel eorum nepotes, quoquo modo pulsi, „ex Africa in natale solum redirent (neque enim illam „Romanis neglectui fore semper putabant) legatos mi- „serunt. Qui ad Giserici conspectum admissi, dixere, se

l. I. c. 22. p. 227. — p. 228.

res

„res adeo laetas gratulari popularibus ſuis, ab ipſis ſer-
„vari non poſſe amplius regionem, qua poſthabita
„Africam coluerint: propterea rogare, vt quando pa-
„triam non curarent iis qui remanſerint, poſſeſſionem,
„donarent, jam inutilem ſibi: vt regionis certum adepti
„dominium, ſi quis eo veniret infenſus, pro illa mori
„non dubitarent. His auditis Giſericus legatos re in-
„fecta remiſit. „

Annum praeterea, Celeberrime Vir, obſerues, quaeſo. Venedos, Vileos habemus, ſeu cum Attila, vt vult *Peucerus*, vel ex Batauia iuxta *Becam Suoium Evandrum* etc. qui Vilcorum nomen hoc ſaeculo in Batauia interiiſſe aiunt; Vici autem ad Albim, cum Clotario et Dagoberto Regibus Franciae, vario Marte conflixerunt: anno 455. aut 456. quae *Cangii*, *Micrelii* aliorumque ſententia eſt. Iam vero Genſericum Regem Vandalorum ſcimus Aſiam occupaſſe, mortuus vero eſt 478. ergo Vendi, ſeu, vt Ruſſi vocant, Vandi, cum Vandalis relictis ſimul manſerunt circiter per 140. annorum ſpatium: idque ante mortem Regis Genſerici 12. vel, ſi alios ſequamur 13. annis, quod ſole clarius, vt dicitur, ex tot hiſtoricis demonſtratum eſt. Vide in Vandalia mea. Frater Genſerico juxta *Bucelinum*, *Heningium*, Vitislaus fuit, cuius filius Halarik, nepos Hanadragi erat.

Vbi demum in opere meo adtuli ſeriem vocum in lingua Polonica occurrentium, quas plane eſſe Germanicas apparet, absque detorſione illa, in Grotianis Prolegomenis ſuſcepta, dixi, inde forte factum, vt Vandali non certe Teutones eſſe crederentur. Primus illam opinionem excitauit *Procopius*, qui de Vandalis et Gothis. „Vocabulis, inquit, omnes, nulla vero re praeterea in-

De Bell. Goth. L. I. c. 2.

„ter se differunt.'„ Quodsi vero in vocibus nominibusue discrimen facit, satis id pro me pugnare videtur Slauos enim certe Gothicae originis non esse, nemo ignorat, licet plurima ex lingua Germanica vocabula in linguam suam transtulerint. Praeterea vero non probo, *Pracopium* vocabula confundere cum nominibus, cum apud Varronem legamus: „Non est idem vocabu„lum et nomen, nam Roma est nomen, oppidum est vocabulum.„ *Cicero* etiam distinguit, voces vel vocabula rerum esse, dicens: „idque jure quidem, nam nomen „in omnibus linguis commune esse debet.„ En jam alterum *Procopii* errorem. Ipse monstrat, certum se non fuisse eorum, quae contendit, nam paulo post verbo vtitur, quod dubitationem prae se fert, *existimem.* Audi nunc *Münsteri* verba, magni ponderis in Vestris, dubitationibus. „Illo, inquit, tempore non lin„gua Germanos a Sarmatis diuisit vt nunc, sed mutuus „metus, nam ac si in horas venturi essent, ita omnes „timor occupabat.„ Mea quidem sententia tutius fuerit *Vittichindo, Paulo Iouio, Matthiae Miechouitae, Adamo Boritschio, Schoenlebenio, Valuassouio, Lazioque* fidem habere, qui diserte linguam Vandalicam in vocibus et nominibus (vt in Paragrapho de Regibus, vrbibus, fluviis Vandalis probaui) vnam eandemque esse cum Vandorum lingua declararunt.

Quod ad mores, Regum memoriam, bellandique rationem adtinet *Procopio* Tua ipsius verba statim oppono. Quae enim Tu de Germanis sentis, ego ad solos Vandalos refero: „Superiora, ais, tamen *Procopii* verba „de Vandalis sui temporis intelligenda sunt; Antiquitus „Vandali nec Regibus subditi, nec mollitiei dediti erant. „Erat enim teste Tacito, saporis regno acrior Germa-

De Bell. Goth. L. III. not. c.

„norum

„norum libertas, ipsaque gens ab omni luxu et molli-
„tie aliena. Aeuo sequenti vero Vandali Reges creaue-
„runt ad imitationem Gothorum, in quorum societate
„per aliquot vixere saecula. Voluptatibus autem post
„ingentes victorias in Africa se dediderunt et in Hispa-
„nia. Luxuriant enim animi rebus plerumque secun-
„dis. „ Qnod si ita est, jam minimum tantum superest
inter Vendos et Vandalos morum discrimen. Id tan-
tum addere liceat de Sarmatis meis, Te fortasse non in-
cidisse in ea scriptorum loca, vbi Sarmatas Βασιλείους me-
morant. Slaui eorum posteri etiam Reges Ducesue ha-
buere, vt Tibi constabit ex *Michaele Salonitano*, *Dioclea-
te*, *Marulo*, *Luccariis*, *Dandulo*, tum Regni Hungariae
omnibus historicis.

Quod ad bellorum rationem adtinet, addo his lo-
cum *Procopii* de consuetudinibus illius gentis. Is enim
„Vandali, inquit, nec jaculatores, nec sagittarii periti
„erant, nec didicerant praeliarii pedibus, sed equites
„erant omnes. „ Hoc ipsum nimirum, originem eos
duxisse a Sarmatis confirmat, a Sarmatis dico, vti *Ta-
citus* ait, in equis viventibus; cum contra Germanorum
acies pedestris fuerit, teste eodem *Procopio*, qui ait: „Hi
„tamen Fenni, inter Germanos potius referuntur, quia
„et domos figunt, et scuta gestant, et pedum vsu, et
„pernicitate gaudent; quae omnia diuersa Sarmatis sunt,
„in plaustro, equoque viuentibus. „

c. 46. p. 249.

Vindi, Vinidi, Vinuli, Vandali, *Plinio* Vindeli, Vin-
delici, apud quos Augusta Vindelicorum, ibique vrbis
rudera Window, Germanice Windich, olim Episcopa-
tus, et Windfurt per Attilam dirutae; videsne Window
et Windfurt in Vindelicia? ergo Vindi cum Vindelicis
iidem sunt, Vindelicos vero cum Vandalis eosdem fuisse

 volunt

volunt Auctores, nominatim *Bonfinius*: Vestigia tamen eorum haerent, Vandalique, vt dixi, saepe vocabantur, sed nemo veterum vllum inter haec nomina fecit discrimen. Verum, vt in Lecho probaui, vocales litterae in omnibus dialectis Slauicis pro vsu tribus solent mutari. Ita Rex nobis Krol, Russis Karal, vel dimidium nobis est pol, illis pal, imo in eodem Poloniae Regno, eiusmodi est varietas, quod in majori quidem Polonia appellant Vanda, in minori Venda dicitur.

Cum jam de voce Vanda (h. e. Hami) sermo sit, memini me in opere supra memorato dicere, Vandam, seu quod idem est, Vendam regionem, quam populus habitabat, manifesto demonstrare populum fuisse Ichtyophagum. Postea in opus *Valuassorii* de Carniolia cum incidissem, non parum gauisus sum, illum omnino eadem mecum sentire. Ille nimirum „Vendi seu Vandali, „ait, nomen acceperunt a vocabulo Vand, id quod significat gentem, vt ita dicam aquaticam, (hoc est ad aquas „sitam) quia antiqui Vandali ad mare Balticum degebant.„ His praemissis, ex Te, qui fatearis, Vandalos etiam appellari Vindilos, quaero, quidni etiam Vindi appellari possint; cum modo citata vrbs Vindow in Vindelia olim inuenta sit? Omnia quidem paterent, si constaret, quomodo Vandali se ipsos patria ipsorum lingua appellarint. Nam nomen Vandalorum non est Slauica vox, sed Latina, neque Graeca, quia apud *Ptolemaeum* nulla mentio fit Vandalorum, Vendi, Vendowie vero Sclavica sunt.

p. 188.

Quid vero, quaeso, sequenti periodo Tua probandum Tibi sumsisti? Vandalum fluuium a Graecis Latinisque ita vocatum, a Vandalorum gente nomen habere, nemo quidem negabit. Cum vero Vandalus, seu

etiam

etiam illis Viſtula, oriatur ſecundum omnes medii aeui ſcriptores et *Ptolemaeum* ipſum in montibus Sarmaticis, et Sarmatae ad oſtium ejus vſque extendantur; cum porro Scriptores Graeci Romanique Vandalos appellent Sarmatas: ipſa ſententia mea firmiſſima inde ducit argumenta. Praeterea idem *Ptolemaeus* Viſtulam Iſtulam, et Iſtillum *Plinius*, alii Viſclam etiam appellant. Hoc nomen Slauicum eſt, nam Viſtula, quod ipſe ego vidi, ex tribus defluit fontibus, qui tanta vi ex alto praecipitantur, vt eos quaſi aquas pendentes dicere poſſis. *Vis* enim eſt Slauice *pendere*. Alteram vocis partem *Scla* vtrum ad Slavos referre liceat, an falſae pronuntiationi Graecorum imputare debeamus, dubito. Tu quidem, Celeberrime Vir, ſtatim dixeris Slauorum nomen tunc nondum fuiſſe cognitum. Ego vero reſpondeo, id a Te probari nullo modo poſſe, nomen Slauorum inter eos non extitiſſe eo tempore, quo vtrumque mare Euxinum Balthicumque imperii fines habuere, id quod plane in *Ptolemai* tempora incidit, cum ipſe id in Geographia dicat. Vere ergo Slawni, id eſt famoſi erant, cum fines ſuos tam late extendiſſent.

L. IV. c. 28.

Id circo ad obſeruationes Tuas, dum de fluuiis ſermo eſt, de Viadro, olim Guttalo, notandum eſt; Viadro Venedicam vocem eſſe, aeque ac Sprea, olim Sueuus, quem Slaui Sprouam appellant. Argumentum autem, Celeberrime Profeſſor, inde ducis, quia Vandali non in Sarmatia, ſed in Germania habitarunt. Sed Vandali etiam in Pannonia, Gallia, Hiſpania et Africa ſedes habuerunt, neque tamen eos Africanos ortu putamus. Deinde Venedi ad reſiduos Vandalos in Germaniam venerunt, Venedos tamen Tu neque Germanos pronuntiaueris, neque, vt ſolus *Tacitus* facit, dubitaueris. Ad Hydrographiam vero

Tuam

Tuam Guttali adde, Odram, quam Vos Oderam vocatis, Slauice esse fluuium, qui omnia secum aufert. Alluit autem, Vraclauiam, seu Vratislauiam, in quo nomine B. in V. mutatum est, olim enim Bradslaw vocabatur, quod est Vadus Slauorum. Iure vero dubitamus, Odram olim Guttalum appellatam, aliud etiam nomen habuisse Viadri; hoc enim nomen potius vicino flumini conuenit Vartae, male pronunciato Viartae. Inde enim Graecis facile formari potuit nomen Viadrus, qui exoneratur in Guttalum, non vero est Guttulus. Hic Albim addam a Romanis ita vocatum fluuium, qui a Germanis Elba, a Slauis vero Laba dicitur. Quaero jam, quid Germanicum Elba significet? Nihil quidem. Contra ea Vandalis sic appellatur aqua, alba vt cygnus. Lab enim, Laba, Labut, cygnum significat. Nomen igitur Albis multo melius a Laba deriuari poterit, cum limpidas aquas habeat iste fluvius, quam ab Elba, quod nullam significationem habet, neque in Romano, neque in alio sermone. Iam consideres velim, cur Romanum vocabulum potius cum Vandalico, quam cum Germanico conueniat sermone? Sed quem quaeso in finem adducis haec fluuiorum nomina, Vandali, Sueui et Guttali? Nonne, vt inde probes, Vandalos, Gothos vel potius Gottinos (quos plurimi pro Gothis non agnoscunt, vt *Harduinus* ad *Plinium*) Sueuosque istam regionem habitasse. Sed Tibi Visclam oppono, Slauicum nomen et Vandalorum temporibus ita vsitatum, vt *Plinius* eo vsus sit, et reliquorum fluuiorum nomina Sproua, Odra, Vartaque, quae ostendunt Venedos totius regionis fuisse accolas.

Caeterum Vandali tunc demum a Slupsko, vobis Stolpen, vsque ad Albis ripas sese extenderunt, cum Sueui Longobardi et Burgundiones vacuas istas reliquissent sedes.

Con-

Contra ea Venedi a Scurgo, quod nunc eſt Dantiſcum, venientes ſine dubio Vandalos ad Albim deprehenderunt ex ipſius Tui amici *Procopii* auctoritate. Quod ſi vero Vandali Gothi fuerunt, cur quaeſo Gebericus, Gothorum Rex, e Scandinauia veniens, Viſimirum Vandalorum Regem ingenti praelio profligauit, imo ſubjugauit, et ab oſtiis Viſtulae Vandalos ejecit? Si ab oſtiis Viſtulae Vandalos fugauit, tunc Viſtula non erat limen Germaniae, imo et Scurgum h. e. Dantiſcum, eſt ex hac parte Viſtulae. Sic et *Tacitus*, etſi Romanis ſuis adblandiebatur, tamen non auſus eſt dicere, Viſtula Germaniam a Dacia et Sarmatia ſeparari, ſed montibus Sarmaticis et mutuo metu.

Deinde vero, Clariſſime Vir, Sarmatas adueniſſe dicis in Europam. Vtique Odinum veſtrum ex Aſiaticis provinciis veniſſe, aſſerunt, id quod ad alterum argumentum Tuum „nedum in Germania manſiſſe„ facit. Sed Sarmatae in Illyrico et prope Albim, imperante Auguſto, innotuerunt, vt Germani per Druſum et Tiberium verſus Albim ſine dubio ad Sarmatas repulſi ſunt, quia Sarmatae Vari caedi interfuerunt, cauſam communem libertatis defendentes.

Huc maxime facit locus, quem ex *Tacito* adducis, non ſolum notatu dignus, ſed optime etiam limites inter Germanos Sarmatasque demonſtrans. Eo enim dicuntur montibus et mutuo metu ſeparari. Nonne hoc probat Sarmatas aeque potentes fuiſſe, ac Germanos, adeoque potuiſſe alteram gentem alteram juuare, et timere?

Ad alterum vero ejusdem *Taciti* locum, a Te commemoratum, cum Tu ipſe falſum eum credas („Marſos, Gam„brios, Sueuos, Vaudalos affirmat. Quae additio etiamſi „fabuloſa„) nihil habeo, quod reſpondeam, niſi quod *Tacitus* in fine Libri de moribus Germanorum Vandalis

Vene-

p. 720. Corn. Tacit. de Moribus Germ.

Venedos jungit, Germanos eos putans. Insignis hac de re est *Pribeuii* locus, qui ait. „Et quanquam *Cornelius Ta*-„*citus* Vandalos Germanos esse dicat, Germani tamen non „tantum viros, juxta fluenta Vandali alias Visolae, seu Vi-„stulae mediam perlabentis Cracouiam, in qua solent Po-„lonorum Reges statiua peragere, per late patentia Sar-„matiae Europitanae arua vsque ad Borysthenem et mare „Balteum, quod Visla influit, per varias decurias sparsos, „nec non et eos, qui trajecto Visla Germanici littoris oras „ac adjacentes Albio amni regiones possident, Vandalos „seu Vindelicos vocare soliti sunt, verum etiam vbicunque „terrarum Slaui consistant, Vandalos, seu Vindelicos esse „arbitrantur.„

L. I. c. V. p. 6. et 7.

Iam vero pro anacephalaeosi *Cromerum*, et Fr. Irenicum, adeo ab ipso laudatum examinabimus. „Alii „vero opinantur, ait, Vandalos Slauica lingua dici a voce „vernacula quae ipsis sedes mutantibus frequens in ore „fuerit, Vandali enim apud Slauos vox est cohortantium „se inuicem, vt porro ire pergant.„ Quod si verum est, *Cromerus* Slauica lingua Vandalos vsos esse dicit, si vero ejusmodi vocis, falsae, incognitae quippe in lingua nostra facit interpretationem, ineptas conjecturas ne refellere quidem libet. Vandalorum seu Ichthyophagorum quidem nomen a Vanda seu Venda, id est ab Hamo piscatorio ductum antiquius est, vt et Valuasorius affirmat.

Alio loco: „Primum enim mores his gentibus „diuersi sunt. Ac Vandalos quidem sub Regibus semper „fuisse et mollissimos atque delicatissimos esse, testis est „*Procopius*. Ita *Cromerus*.„

„Quos (continuat) credendum est, quando ad inuadendas Romanorum prouincias sunt profecti, partem „gentis, NB. *in patria reliquisse*. Quare Slaui (Vendi de-

„buerat

„buerat dicere) paulo poſt ſuperuenientes, ita locutiones „commiſcuere, vt ex vtraque tertiam (neſcio cur tertiam) „effecerint. Ita *Blondus.* His omnibus antiquior *Tacitus:* „neque negat Crantzius.„ Digneris denuo Crantzium inſpicere.

„Quin citatis etiam ex Methodio Martyre epiſtolam „Vandalorum ad Conſtantinum Magnum Imperatorem, „Germanos ſe eſſe profitentium. Quod *Franciſcus Irenicus* quoque facit, L. I. c. 33.„

„His adſtipulantur Ducum ac Regum ejus gentis no„mina, quae Germanicam originem atque etymologiam „redolent. Qualia ſunt Vandalica nomina Genſericus, „Hunericus etc.„

„Slauicum vero vocabulum ne vnum quidem mihi „quisquam ex omni Vandalorum hiſtoria protulerit: niſi „forte illa apud Crantzium Venedicarum vrbium nomina „Lubecae, Roſtochii, Visinariae, Stargardi, ſeu Starogra„di.„ Haec ſunt argumenta P. Epiſcopi Varmienſis.

Iam nos ad refutandos *Cromeri* errores accingamus. Nam is diſcrimen morum inter Vandalos et Venedos aſſerere conatus, ad *Procopii* teſtimonium prouocat. Sed noſter Epiſcopus non animaduertit, Notarium Beliſarii eos tantum nouiſſe Vandalos, quos Africanae voluptates molles effeminatosque reddiderant; nam de antiquorum feritate hiſtoria nullam relinquit dubitationem. Ego vero ipſe verſus finem mei operis vſus ſum eodem ſcriptore eandem probaturus Vandalorum Venedorumque morum rationem, eandemque belli artem; adeoque quae de mollitie et vita luxurioſa dicuntur, ſunt intelligenda de inſequenti tempore, hoc eſt *Procopius* in loco a *Cromero* citato de ſui temporis Vandalis intelligendus eſt.

In *Blondo,* quem deinde citat *Cromerus,* nihil ejusmodi

inuenio. Potius in Epitome *Blondi Aeneas Syluius* haec habet: „*Orosius* dicit, Alanorum Sueuorum et Vandalo-„rum gentes ante biennium Romanae irruptionis per Sti-„liconem concitatas inuasisse Gallias: nec dicit, vnde fue-„rint: *Plinius* Vandalos et eorum partem Burgundiones „vnam esse dicit ex quinque interioris Germaniae parti-„bus, et paulo post Sueuos illis proximos ponit. Alani „autem etsi origine sunt Scythae, in ipsis tamen Vandalo-„rum regionibus habitabant. . . Ejusdem Augusti tempo-„ribus ea pars Vandalorum, quibus Burgundionibus po-„stea fuit nomen, ad octoginta armatorum millia, vlterio-„res Rheni ripas insederant. . . Facta est et alia in iis gen-„tibus mutatio; nam Vandali, a fluuio regionis sic dicti, se „Slauos dixere a nomine gentis, quae a Bosphoro Cim-„merio in Tanaim fluuium habitare solita est.„

Ex hoc quidem loco *Cromerus* nullum argumentum petere potuit. Nunc enim Vandali ideo Germani dicuntur, quia ex Germania venerunt, nonne enim illam transgredi oportebat eos, qui contra Romanos proficiscebantur? *Orosius* sine dubio certam eorum fecisset mentionem, si gens Germanica fuissent, cum Germania ad Albim vsque Romanis jam optime cognita esset. Quod ad *Plinium* adtinet, ad ea prouoco, quae in ipso dixi opere. Illa tandem mutatione *Cromerus* abutitur ad gentium discrimen probandum, cum tamen *Blondus* de nominis mutatione tantum loquatur. Longe alius certe his verbis subest sensus, nempe Vandalos olim ita a flumine Vandalo, id est Vistula vocatos, Slauos se ipsos appellasse a gentis nomine. Vt vno verbo dicam, Etymologiis sepositis, nemo alium sensum eruere poterit, nisi, Vandalos se Slauos dixisse. Plane igitur patet, vel *Cromerum* istorum verborum sensum non intellexisse, vel si intellexerit, Lectores voluisse decipere.

Quod

Quod vero ad *Crantzium* adtinet, is quidem a *Cromero* admodum inepte commemoratur, cum ſatis diſerte declaret, Vandalos cum Venedis eosdem eſſe, vbi enim de ſermone loquitur, id intelligit, verba Germanica Slauico ſermoni fuiſſe immixta, id quod ex Dominica oratione hic juncta patebit.

Cromerus vero auctoritate ſe munit etiam ſcriptoris multo recentioris *Blondo, Franciſci* nimirum *Irenici*, qui Maximiliani I. temporibus vixit; quale ergo ex tam recenti ſcriptore in hiſtoria ſumi poteſt argumentum? Sed vt luce clarius appareat, *Irenicum* auctorem eſſe nullius fidei, et plane fabuloſum, viſum nobis eſt tabulam eius nationum quam L. I. c. 40. p. 38. inuenies, oculis omnium infra exponere. Verum tamen ante omnia vtile videtur, cauſſas proferre in medium, quae nos ad illud examen, illamque diſquiſitionem ſuſcipiendam adduxerint. Irenico nempe adfirmante, Slauos ex Scandinauia veniſſe, Bulgarosque a Suedis deſcendiſſe, permoti fuimus, vt in programmate has duas non infimi ponderis quaeſtiones agitandas proponeremus, licet nullum inuenerimus auctorem, qui Irenici auctoritate ridicula mendacia confirmare audeat.

Cuicunque vel leuiter bellam iſtam, ſi Diis placet, tabulam perluſtranti ſtatim occurret, Bulgaros a Suedis primordia ducere. Vtinam ſaltim ex Slauica quadam familia eos ortos fuiſſe, dixiſſet, ſed ex Teutonica gente eos non deducit, ſed trahit.

Verum non id agimus, vt lectoribus ſtomachum commemorandis nugis futilibus, quibus ſcatet adeoque refertus eſt, moueamus: id tantum, quod ad conſilium noſtrum pertinet, in medium proferemus.

Dicit enim Herulos e Scandinauia insula prorupisse, quae ipsi Irenico similis videtur Noachicae arcae: ex hisce Herulis Vandalos prognatos esse. En vobis Vandalorum originem in foecundo Irenici cerebro fictam! Vandali certe ita in Scandinauia fuerunt, ac Slaui Bulgarique.

L. I. c. 34. p. 32.

Idem scriptor accuratius has notiones expendens: „Sunt enim, ait, e Gothis Auares, Slaui, Antes etc.„ Sed jam qua ratione, quaeris, adductus haec asserit? statim eam profert, attende animum. „Vnde quidquid in quinto libro de illorum gestis adducturus sum, id Germanis deberi, pius Lector agnoscat.„

L. I. c. 35. p. 32.

Redeamus jam ad Vandalos: *Irenicus* noster dicit; „Iornandes ac Methodius, qui epistolam Vandalorum adduxit, sese publice Germanos testantium.„ Auctores quidem hic laudat, sed paginas quibus locum commemoratum inuenire queas, caute non addit. Caeterum nos tale quid vnquam in *Iornande* legere non meminimus, neque *Methodii* illud litterarum commercium cum Vandalis inuenire nobis contigit.

L. I. c. 40. p. 38.

En jam caput istud quadragesimum *Irenici* antiquarum gentium originem migrationesque complectens, quod omisit filius, ego vero, ne forte in noua ea editione Tibi desideretur, integrum ita vt auctor concepit, transcribo:

E Scandia insula venere.

Chiabi	Suedi, vnde Bulgari.	Dani, vnde Normani.	Heruli.	Theiphali.	Gothi a quibus.	Slaui, a quibus Poloni.	Alani vnde Bohemi.	Cimmerici, a quibus Cimbri.
	Ostrogothi vnde Pannones.		Vandali.	Gepidae a quibus et	Daci,	Hunni,	Sciri.	Visigothi, a quibus Hispani et Galli.
			Longobardi, a quibus Turcilingi nati sunt.	Auari, a quibus Bauari.				

Iam

Iam ad sequentia *Cromeri* verba progredimur, vbi non parum miror, lecto *Longino*, talia eum contendere conari. *Longinus* enim ait: „Vandalos nunc Polonos vocari et Gensericum esse nomen Latinum. Slauico vero sermone eum Genscorek appellari. *Sarnicius* eadem sentit. Gens enim Polonis est anser, eaque vox similior est nomini Gensiorek quam Germanica Gans. Deinde vero plane ineptit *Cromerus*, cum ait, „nec vnum vocabulum „Slauicum.„ Sed an Visimir, Radagast, Vislaw, Craco, aut Vidimir, Valimir, seu Chualimir, Tudimir, Glimir seu Gilimir etc. antiquissimorum Regum nomina, sunt Germanica? Cum vero Vandalorum Reges Gothicis et Longobardicis Regibus societate et commerciis jungi incepissent, demum mores alia induxerunt nomina.

Eadem de vrbium nominibus sentit in *Crantzio* reprehendendo. Sed Vismaria nonne manifeste a Vismaro, seu Visimiro dicitur; cujus nos nominis Principem habuimus in Polonia? (Visimir autem est Slauica vox et virum significat pacis amantem.) Deinde cum Rostochium, Lubecam, Starogardiam etc. dicit Venedicas esse vrbes, non Vandalicas, cur neque alicujus scriptoris auctoritatem, neque Vandalicae vrbis nomen producit?

Sed jam ad vltima *Cromeri* verba omnis animi attentio vertenda est: „Iornandis, ait, ille testimonio abeuntes: „quasi is cum Vandalis Slauorum gentem conjungat. „*Franciscus* vero *Irenicus* vi veritatis victus, manus dat, „quamuis repugnante, vt et ipsi videtur, et alibi etiam di„ctum est, *Iornande*.„ Maxime hic *Cromerus* vacillat, an *Franciscum Irenicum* tot saeculis *Iornande* recentiorem sequi malit, qui ipse fatetur, se sensisse, haec repugnare. *Irenico* ac *Cromero Tacitus*, tot seculis *Iornande* anterior, aduersatur,

tur,

tur, qui nullum inter Vandalos Venedosque in fine Libri de moribus Germanorum discrimen facit.

Impudentiam vero nonnullorum peregrinorum scriptorum satis quidem mirari nequeo, qui in sua ipsorum lingua quaerant, et inuenisse sibi videantur etymologiam nominis, quod ad gentem plane peregrinam pertinet. Quo clarius hoc pateat, exemplum ejus rei adducere liceat. Scriptores Germanici Vendorum, quos Latini Venedos appellant, quorumque diuersas tribus exposui, nomen a voce Germanica Wenden, quae conuertere significat, ducendum esse dixere.

Si vero absque dubio quaeque natio ipsa sibi, proprium nomen indidit, etiam de Venedis id credendum esse videtur, nec est suspicandum, eos aliam consuluisse gentem de nomine sibi imponendo. Qua quaeso igitur ratione persuadere nobis possumus, hoc nomen in lingua Venedica plane ignotum, indolem gentis moresque debere ob oculos ponere? Iam alia ejusmodi Etymologia haec est, cum iidem scriptores afferunt, Vandalorum nomen a Vandeln venire, id est vagari, Vendorum vero, vt supra dixi, a Venden, quod eundem fere sensum habet. Mirum est, eos originem diuersam vtrique genti tribuere, nominibus vero eandem Etymologiam.

Ex his igitur Aamice, potes intelligere praeclarae istius Etymologiae veritatem. Vale.

DE
HENETIS ET VENETIS
SEV
VENEDIS ET VINDIS

Pars Prima.

Dissertationes hae propter insignem doctrinam et incredibilem in eruendis rerum Vandalicarum antiquitatibus diligentiam, communi Brabeutarum consensu praemio ornatae fuerunt; quod tamen PRINCEPS CELSISSIMVS Cel. Prof. Schirach, qui proxime ad illum accessisse judicabatur pro sua liberalitate vltro et lubens concessit.

CONSPECTUS OPERIS

PROLVSIO.

§. *I.* De Medo-Henetis et Heneto Sarmatis ex Homero teſtimonia.

§. *II.* Locus Herodoti de Henetis a Medis oriundis illuſtratur. Stephanus de vrbibus conſulitur.

§. *III.* De Henetis plura ex Strabone et aliis.

§. *IV.* Ex Ptolemaeo lux quaeſita, mutatio literae đ, et t, Veneti, Venedae.

§. *V.* De Sauromatis Sarmatis.

§. *VI.* Conſentiunt ex recentioribus ſcriptoribus multi noſtrae ſententiae.

§. *VII.* De Antis, Slauis, Slabenis, inde a ſec. VI.

§. *VIII.* D linguae Slauicae vetuſtis monumentis.

PRO-

PROLVSIO.

Qui antiquiſsimas gentium origines et hiſtoriarum ſanctas reliquias continuis ſtudiis noſtro tempore detegere conantur atque colligere: ſolent, ſi officio ſuo probe funguntur, longe alia via incedere, quam iſti tot numero ſcriptores, qui per illa ſecula, quae *medii aeui* nomine ſolent comprehendi, huic rei operam dare videbantur. In iſta enim tam denſa litterarum meliorum caligine carebant fere omnibus antiquioribus ſcriptoribus, graecis certe omnino; itaque ex tam multis monumentis illis, quae monachis et clericis latinis debentur, vix quidquam ſupereſt, quo, cum antiquiorum gentium origines exquirimus, ſatis opportune hodie vti liceat. Iam vero poſtquam rediit illa mitior litterarum lux, multo plura poſſunt ſatis bono omine colligi; etſi non raro accidit, vt eruditi viri ingenio atque propoſito ſuo plus iuſto obſequantur. Nam ingenii etiam vi quadam atque dexteritate opus eſſe, facile omnes concedent, qui intellexerint, per ſummam diligentiam tamen vix reliquias hiſtoricas, laceras, nec commodiſſime iungendas, comparari atque colligi ex antiquis ſcriptoribus. Itaque ingenii quadam facultate atque opportunitate omnino carere non poteſt, quotusquisque huic cauſae operam ſuam addicit. Sed non licet plus iuſto ingenio tribuere, nec eius fructum atque adiumentum cum ipſa hiſtoriae auctoritate commiſcere; ne hac ratione, lucem promittentes pro tenebris, fumum oculis obiiciant. Abſtinebimus autem a nominibus

eruditorum virorum, quos ſuſcepti argumenti amor non raro fefellit, etſi ad iſtum numerum, qui *Annios Viterbienſes, Poropios, Becanos, Olaos Rudbeckios* complectitur, minime pertinent. Requiremus potius tam difficilis negotii aliquas cauſſas; per quam occaſionem videmur ſimul vtiliter poſſe admonere de quibusdam aliis rebus, quae ſolent non raro negligi, quo diligentius ipſi verſemur in hac, quam agendam ſuſcepimus, cauſſa, quaeſtionem habituri poſt alios, vtrum *Heneti, Venetique* ad mare Adriaticum, cum Venedis, qui ad mare Balticum poſtea inuenri ſunt, ejusdem originis et gentis fuerint? Sicut *Celtas Gallosque* ſcimus latiſſime diffuſos, vnius tamen fuiſſe originis. Atque hic quidem primum omnium decet ſatis caſtos atque aequos eſſe huius cauſſae arbitros; nec conuiciis, ſannisque et iocis arrogantius pugnare in alios, qui ſolent et ipſi ſuo jure atque ingenio vti. Eſt enim politioris eruditionis ingenuique et liberalis ſtudii illud quaſi praecipuum decus, vt communium litterarum amatores comiter atque humaniter omnes alios eadem via incedere patiantur ſine inuidia, et ſine faſtu; ſiquidem etiam aliter ſentientes ipſo hoc diſſenſu meliorem certioremque cognitionem non parum augeant. Nec poſtulare poſſumus, vt de eadem cauſſa, in libertate publica iudiciorum, omnes omnino eandem ſententiam ferant, quam videntur alii ſummo iure amplecti. Nos igitur neminem laedemus, etiamſi interdum diſcedendum nobis eſſe ſtatuemus ab aliorum ſententiis.

Quod ad cauſſas tantae difficultatis attinet, quae huius generis quaeſtiones, de gentium vetuſtarum origine, premere ſolet: vix licet hanc praeterire, quod iam caremus non parua multitudine auctorum vetuſtiorum, qui iſtam Geographiae veteris partem, praecipue inter Graecos,

cos, copiosius olim illustrauerant. Vel ille auctor, quem *Stephanum de vrbibus* solemus laudare, quot tandem scriptores geographicos et historicos nominat? Quot *Strabo* et *Dionysius?* quod ex latinis solus *Plinius?* quot Scholiastae illi graeci? Quantum putamus periisse nobis vetustae historiae, amissis tot scriptoribus; e quibus vix pauci restant, qui praeclaris Romanorum Graecorumque rebus maxime operam derunt; spretis fere illis gentibus, quas barbaras dicere desolebant, quia lingua vterentur ipsis ignota? Nempe illi ipsi Scriptores, qui superiorum adjumentis vti poterant, elegerunt, pro suo arbitrio, quam partem ipsi sequerentur, si scriptorum varietatem accuratius excutere aut non possent, aut non vellent. Ita saepe *Strabo*, alicubi *Tacitus* et *Plinius* suo iure vtuntur; magnam vero gratiam a posteris iniuissent, si vel copiosius describere varietatem illam, atque caussas veras, quibus auctores in sententiis diuisi, ducebantur, voluissent. Non hic definiemus, an nihil omnino dederint gloriae atque nomini Romani imperii, suppressis illis testimoniis aut fastuosis narrationibus, quae obstare tanto honori videbantur. Sic Graeci olim sibi pleraque omnia decora tribuebant, quae barbaris subtrahebant. Tum diu obstitit addiscendis antiquioribus gentium exterarum historiis imperitia nauigandi, sermonis etiam; atque sollicitum illud studium, quo cauebatur, ne peregrina viuendi ratio propius cognita confirmatam domesticis moribus aut legibus rempublicam perturbaret. *Homerum* ipsum ignorasse maritimam regionem Paphlagoniae, Axinum, veteres jam obseruarunt; sicut nec *fluvios Ponti* nomine distincto describit. Iam si accedat nomadica viuendi ratio, qua populorum magnae turmae quotidie locum mutabant, et vastas solitudines vel per secula plura permeabant, carentes omni litterarum, stabili-

vnque monumentorum vſu: fieri fere non poteſt, quin gentium magnarum, et late longeque diffuſarum prima quaſi incunabula tandem ignorentur. Itaque illud nobis ſupereſt modeſtum et ſapientibus arbitris dignum iudicium, quod iam *Herodotus* a) praeiuit; cum enim fatendum et ipſi eſſet, ſe non poſſe perſpicere, qua ratione *Sigynni* vel *Sigynnes* Medorum ſe colonos vere dicant; *in longo tempore, ait, fieri quidlibet poſſe;* ſic quidem, vt tamen illi verum dicant, licet narratae rei ipſa cauſſa atque natura a poſteris deſcribi vel deſignari nequeat. Nempe cum hiſtoria rerum olim geſtarum involuat varios caſus, quos experiri atque ſubire homines interdum inuitos oportuit, reuereamur et nos hodie hiſtoriae, ſi qua ſupereſt, auctoritatem, atque vtamur potius veterum narrationibus, vel obſcuris, quam vt arroganter, contemnamus vel mediocrem lucem, quam colligere poſſumus. *Strabo* b) ſecutus eſt hanc aequiorem ſententiam ſuo iam tempore. De Myſis enim agens: Vetus quidem, ait, memoria talem *gentium* harum ſitum, ſubindicat; ſed recentiores mutationes pleraque conuerterunt; ſi quidem aliae gentes alias iam teneant regiones; aliae, (olim diuiſae) coniungantur, aliae (conjunctae) diuellantur. Quibus propoſitis, recenſet gentes, quae Myſorum terras occuparunt ad Romanorum vſque fines. Nos idem de *Henetis* obſeruabimus; quorum antiquiſſimas origines repetere audemus atque requirere; ita tamen, vt non tam ingenio indulgeamus noſtro, quam antiqua hiſtoriae documenta diligenter colligamus, eorumque auctoritatem, ſine fuco, ſine ſtudio partium, illuſtremus. Poſtquam illa opera defuncti fuerimus, ſummo ſtudio, ſummo labore, breuiter tamen ſummam

a) Lib. V. ſeu *Terpſichore*. b) Lib. XII.

mam noſtrae ſententiae proponemus, atque videbimus, an quid ſit, quod huius laboris fructum irritum reddere poſſit. Tum more in omnibus noſtris operibus adhibito, relinquemus lectorum libero judicio, quid profuiſſe noſtrum illum laborem ſtatuant, ad pellendas iſtas tenebras, quibus *Henetorum* et *Sarmatarum* origines inuolvebantur.

DE MEDO HENETIS ET HENETO SARMATIS.

§. I.

EX HOMERO TESTIMONIA.

Homerum fere quadringentis annis ante ſe vixiſſe, putat *Herodotus*, qui et accuratius in ejus de litteris merita inquiſiuiſſe videtur, ſiquidem neget, Cypria eius eſſe, atque dubitet, an verſus, qui Epigoni dicebantur, *Homeri* omnino ſint. Uſus autem fuit *Herodotus* etiam poëtarum omnibus indiciis geographicis, quae ſimul vetuſtiſſimam hiſtoriam inuoluunt. De Helena, aliisque hiſtoriae Trojanae partibus diligenter requiſiuit; acceſſit ad Sacerdotes, aliosque peritiores antiquarum rerum amatores &c. Itaque et Enetos Herodotus *quaſi* (ex *Homero*) *iam ſatis notos*, tantum nominat, antiquiorem gentis illam hiſtoriam ex *Homero*, graeciſque aliis poëtis, ſatis notam eſſe, autumans. Paulo poſt obſeruabimus *Strabonis* ſimilem diligentiam, qui ex *Homero* aliquoties, hiſtoriae de Henetis illuſtrationem repetere non dubitauit; videbimus etiam, ſupereſſe in *Ptolemaeo* et aliis multis graecis latinisque ſcriptoribus antiquis Homericam illam deſcriptionem, quae lib. II. ſeu in Catalogo, aut enumeratio-

ne nauium occurrebat. Vnde ſatis certum eſſe debet, iam diu ante hos ſcriptores hiſtoricos et geographos apud Graecos fuiſſe notitiam ſatis certam *Enetorum* Aſiaticorum; hanc notitiam porro conſeruatam atque ad poſteros transmiſſam fuiſſe ab aliis ſcriptoribus; licet locum mutarint iſti *Heneti*, aut magna certe gentis pars illa, quae ad Adriaticum tandem mare ſedes ſibi quaeſiuit. Haec igitur *Homerus* a) habet:

„Paphlagonibus vero praerat Pylaemenis animoſum cor,
„*Ex Enetis;* vndae mularum genus agreſtium,
„Qui Cytorum tenebant et Seſamum incolebant,
„Circaque *Parthenium* fluuium inclytas domus habitabant,
„Cromnamque Aegialumque et excelſos Erythinos &c.„

Haec noſtro conſilio iam ſufficiunt. Addamus tantum id, iam ante *Strabonis* tempora Calliſthenem, vt *Strabo* b) narrat, in eadem recenſione gentium, ſeu διακόσμῳ, legiſſe praeter verſus hos ſupra laudatos duos alios, nempe poſt verſum *Cromnamque*, &c.

„Cauconas autem duxit Polycleos filius *Ameibus* (al. legunt Amymon,)
„Qui circa Parthenium fluuium inclytas domos habitabant. „

Arbitramur autem, vnicum tantum verſum illum *Cauconas* &c. inſertum fuiſſe; altero illo: circa *Parthenium* fluvium &c. et tranſpoſito, et ab initio paululum mutato. Eandem ſententiam de catalogo, per verſum, *Cauconas* &c. aucto, etiam celeberrimus Homeri interpres *Euſtathius* habet, ad iſtum locum Iliadis. Cum vero Pylaemenis poſteros commemoret adhuc Strabo, dicatque Pompeium iis partem

a) L. II. Iliad. verſ. 851. b) Lib. XII.

partem prouinciae regendam tradidiſſe; idemque Strabo, *Cauconas*, Parthenium fluuium, et Henetorum regionem, qui Cytorum habent; porro *Seſamum* Cytorum, Cromnam, Aegialum, atque Erythinos recenſeat, quarum gentium etiam mentio fit apud Ptolemaeum; ſatis certum eſt, hos ſcriptores Homeri illam vetuſtiſſimam deſcriptionem etiam ſuo tempore adhuc ſecutos fuiſſe; licet iſto jam aeuo et *Caucones* omnino defeciſſent atque *Eneti* illa in regione nulli amplius inuenirentur. Appianus tamen *Enetos* atque *Eintos* in Mithridatis exercitu tempore Pompeii deſignat; vnde ſic videtur Strabonis illa narratio explicari poſſe: Pompeium poſteris Regis Pylaemenis dediſſe partem prouinciae. Iuuat porro *Ptolemaei* interea a) autoritate vti, vt eo magis appareat, poetam vrbium, locorum, et gentium nomina profecto non fabuloſa protuliſſe aut poëtico numine condidiſſe; a quo crimine *Strabo* b) Homerum defendit aduerſus Appollodorum et alios, qui *Myſos*, et pleraque nomina gentium confiſta putabant; cum tamen ſuperſint etiam ſeriori tempore haec nomina, etſi forte iam aliis in regionibus. Sic igitur *Ptolemaeus* c) in Tabula prima deſcribit:

Parthenii fluuii oſtia,
Fontes fluuii,

Amaſtris, (quam vrbem dicit Strabo, conditam ab *Amaſtri*, filia Oxyathrae, qui frater fuit Darii eius, quem Alexander vicit; ſic quidem, vt 4. coloniae vel vici, Seſamus, Cytorum, Cromna, et Teius, hanc Amaſtrin vrbem compoſuerint)

Cromna,

a) Lib. V.
b) Lib. VII.
c) Lib. V. c. I.

Cromna,
Cytorum.

— — Ab Heraclea ciuitate vſque ad Cytorum habitant Maryandeni. Sub monte autem Orminio, *Caucones* — tandem et *Zygianem*, regionem, commemorat, atque in inſulis, Erythinos ſcopulos.

§. II.

LOCVS HERODOTI DE HENETIS A MEDIS ORIVNDIS, ILLVSTRATVR. STEPHANVS DE VRBIBVS CONSVLITVR.

Herodoti eximium locum iam illuſtrabimus; a) quia, vt arbitramur, magni eſt ad ceteram cauſſam, quam agimus, momenti. Thracium a Megabazo, Darii iuſſu, expugnatorum clade narrata, eorumque ſepeliendi more et cultu deſcripto, ita pergit: „Quod autem huius regionis „ad Aquilonem vergit, nemo poteſt pro comperto referre, quinam homines eam incolant; ſed illam, quae *trans* „*Iſtrum* plaga eſt, apparet vaſtam eſſe atque infinitam. Solos tantum reſciſcere poſſum *habitantes vltra eum*, homines, nomine Sigynnas, *veſte Medica vtentes*; eorumque „equos toto corpore hirſutos eſſe. — *Horum fines pertinere prope ad Enetos, qui ſunt in Adria.* Eos quoque colonos ſe Medorum dicere; qui, quo pacto *coloni Medorum* fuerint, equidem non queo cogitare, ſed fit quidlibet in longo tempore.„

„Sigynnas, Ligures qui ſupra Maſſiliam incolunt, inſtitores appellant, (Cyprii autem iacula) (quae vltima „verba incluſa haud dubie debentur ſcholiaſtae cuidam; „vt

a) Lib. V. *paulo poſt init.* 375. *edit. Weſſelingiae.*

„vt iam obſeruarunt viri docti) apud Weſſelingium. Ve-
„rum, vt Thraces aiunt, apes loca, quae ſunt trans Iſtrum,
„obtinent, et propter illas vlterius procedi non poteſt.
„Quae cum dicunt, haud credibilia apud me dicunt, quo-
„niam conſtat, hoc animal frigoris intolerans eſſe; ſed mi-
„hi videntur loca, quae ſeptentrionibus ſubſunt, ob gelu in-
„habitabilia eſſe. Hactenus de hac regione, cuius oram
„maritimam Megabazus Perſis obedientem reddidit.„

Haec *Herodotus*, quae vti patet, a Thracibus didicit. Quod attinet ad nomen hoc gentis, quam *trans Iſtrum* ponit, *Sigynni*, non poteſt non *Apollonius* Rhodius, a) hos eosdem deſignare populos.

Nec Thracibus mixti ſunt Scythae neque *Sigynni*, certum vero etiam eſt, *Strabonem* b) haec eadem narrare, nec piget vtriusque ſcriptoris ipſa verba adſcribere, quia non inutiliter eam operam impendemus.

Herodoti latina.

Solum reſcire potui, habitare vltra Iſtrum homines, nomine *Sigynnas*, veſte *Medica* vtentes (comparare liceat *Sagywa* fluuium, in ſuperiore Pannonia) eorumque equos toto corpore hirſutos eſſe, ad quinque digitos altitudine pilorum, eosdemque puſillos et ſimos, inualidosque ad viros geſtandos, ſed currui iunctos, eſſe perniciſſimos, atque ob haec curribus indigenas vti. Horum fines pertinere prope ad Enetos, qui ſunt in Adria. Eos quoque ſe colonos

Latina Strabonis.

Sigynni cetera perſizant, equis autem vtuntur paruis hirſutis, qui ſeſſorem portare non poſſunt; ſolent itaque quadrigis eos iungere; hos mulieres regunt, inde a pueritia Medo-

a) Lib. IV. v. 370.

b) Lib. XI.

Medorum dicere; qui quo pacto coloni Medorum fuerint, equidem non queo cogitare; sed fiat quid libet in longo tempore. Huius regionis maritima Megabazus Dario subiecit.	ei arti adsuetae. Quae optime regit, cohabitat cui vult. &c.

Hic facile comparanti patebit, *Strabonem* sua omnino ex *Herodoto* desumsisse; sed partim mutasse Persas cum Medis; quod hac in caussa licebat; partim *auxisse*, vt eo, quod de mulierum arte aurigandi tradit, quia post Herodotum plura de illa regione innotuerant; partim quaedam *omisisse*, vt quod de finibus eorum Herodotus addiderat; scilicet tantum *paradoxa* quaedam narrare instituerat, de plane *barbaris*, veluti de his, qui circa Caucasum et ceteram montanam regionem habitant. Obseruarunt iam viri eruditi, *Casaubonus* ad *Strabonem*, *Wesselingius* ad *Herodotum*, Strabonem hos Sigynnos, vel Sigynnas, ponere in *Asia;* Herodotum vero in *Europa*. Sed res redit ad Strabonem, qui paradoxa promisit, de plane barbaris; itaque minus certum est, ipsum hos Sigynnos designare voluisse in *Asia;* nisi putemus, eas mulieres Sigynnorum, de quibus Strabo narrat, fuisse in Asia. Vtrique enim barbari fuerunt; et isti in Europa, super Thraciam, et hi in Asia, circa Caucasum. Herodoti vero hic non potest auctoritas negligi, quia a Thracibus, conterminis, haec se accepisse, dicit. Superest etiam in *Stephani* libello de vrbibus nomen *Sigynnorum*. Nam laudat *Sigynum*, vrbem Aegyptiorum, ex Ctesia in primo circumnauigationum, additque, Ciues Sigynos dictos. *Holstenius* in notis ad hunc locum, Herodoti descriptionem affert, etiam *Strabonis Sigynnos*, incolas montis Caucasi, atque ex *Orpheo* in Argonaut: a) *Sigymnos*,

a) vers. 754.

gymnos inter Byzeras et Colchos; (*Byzeras*, ſuper hos *et* in hoſpitales *gentes Sigymnorum.*) Facile autem credimus, quicquid ſit de iſto nomine Aegyptiorum, Stephanum haec de ſumſiſſe ex *Cteſia*, non ignorata tamen deſcriptione *Herodoti.* In vocabulo *Creſton* certe Herodotum laudat, qui Creſtonaeos in Thracia poſuit; atqui illa pars Herodoti plane cohaeret et coniungitur cum ejus narratione de Sigynnis. *Steph.* porro *Trauſos* laudat, quos idem Herodotus nominauerat. In Stephano autem falſo legi, *vrbem Celtarum*, legendumque eſſe, vrbem *Getarum*, - - - - admonuit iam Holſtenius. Getas et Trauſos et Creſtonaeos hic iunxit Herodotus. Iam, etſi in Herodoto nihil de vrbe Sigynnorum legatur: tamen ſimili iure Stephanus ei genti vrbem aſſignat, quo Trauſos dicit vrbem, atque ex *Creſtonaeis*, facit vrbem *Creſtone.* Quid vero fiet de nomine Aegyptiorum? nam *Holſtenii* explicatio, de circitoribus fatidicis, parum eſt opportuna; vrbem enim iſtud hominum genus minime omnium amat aut condit. Legere auſim vrbs, regio *ſupra Getas.* Atque *Cteſias* facilius de his populis, quam de talium Aegyptiorum quadam vrbe narrare potuit, qui ſero hoc nomine vſi, fanatici et contemti homines eſſent. Cteſias certe tales Aegyptios non deſcripſit; potius cum de *Megabazo* ſimiliter multa narrauerit, de cuius in Thraciam ducto exercitu etiam Herodotus iſto in loco mentionem fecerat, veroſimillimum nobis videtur, Cteſiam *in Perſicis*, quae ſaepiſſime a multis ſcriptoribus citantur, aliquid ſcripſiſſe de Sigynnis, qui ſuper Getis fuerint, vti nos opinabamur. Facillimus autem eſt lapſus ſcribarum ex *Hyper Geton*, ſupra Getas, in *Aegyption*, Aegyptiorum, de quo nemo dubitabit. Nec vero diſcedimus a Stephano, quin porro admoneamus, appellari parum commode Cteſiam *in primo* Periplorum. Nempe in

 plurali

plurali numero periplos ille ſcriperat? Legendum erat in A, Periplo, explendum vero, *in Aſiae* periplo. Sic citat Harpocration in lexico, ad nomen Skiapodes; in collectione fragmentorum Cteſiae, quae adhaeret editioni Herodoti *Weſſelingianae*, exſtat haec particula ex Stephano; nihil tamen admonitum fuit de Aegyptiis, nec de Periplo A. ſeu Aſiae.

Sed jam ad Herodoti locum redibimus. Satis certum eſt, I.) eum, poſt deſcriptionem Thraciae, jam pergere ad plagam, quae eſt trans Iſtrum, quam regionem vaſtiſſimam eſſe, aſſerit, additque, ſe iſto tempore nil potuiſſe reſcire de incolis, praeter Sigynnos. Itaque dubitare non licet, eum agere de illa regione, quae Daciam antiquam et coniunctum ipſi latiſſimum tractum Illyricum complectitur, poſt Herodoti demum tempora magis magisque notum, et varie diuiſum. II.) Sicut igitur multa populorum et gentium nomina noua innotuerunt vſque ad Ptolemaeum, de quibus nunquam Herodotus aliquid fando inaudiuit: ita etiam *Iazygum* nomen nondum occurrit in Herodoti libris; in iis autem nomen *Sigynnorum*, de quo populo tamen nemo Scriptorum, qui fuerunt poſt Herodotum, vel aliquid habuit, quod praeter Herodotum adiiceret. Itaque per iſtud temporis intervallum Sigynni locum mutarunt et nomen. Credimus enim, ſeculis aliquot hoc proprium fuiſſe, vt gens gentem quaſi ſede ſua eiiceret. Forte et illud nomen prouinciae, *Zygianae*, apud Ptolemaeum, ad hanc cauſſam, quam agimus pertinet. Nec ſane caret ſpecie, quod *Vphagenius*, excurſu XIII. de hac re perſcripſit: „Totus ad creden-„dum pronus ſum, Sigynnos illos, borealem Iſtri ripam „incolentes, a Medis ſatos, inque curribus vitam tranſi-„gentes, haud alios quam Sarmatas Iazyges eſſe, vt qui-

„dem

„dem poſt appellabantur.„ [Liceat vel illud admonere: nomina gentium, vel pronunciandi more, vel ſtudio, vt ita dicam, graeciſſandi, vehementer mutari ſolita; itaque poterat fieri, vt ipſum nomen hoc, quod varie ſcribi ſolet, (Sigyni, Sigynni, Sigynnae) per litteram *n*, inſertam, augeretur, quaſi ſic graecis labiis tolerabilius, quam more barbarico ſonans. Magna talium mutationum eſt copia: *Getas* ſcribunt ceteri; Arianus *Getenos* ſcripſerat; Stephanus in Getia *Iapyges*, quos etiam *Iapygios* dicebant, *Iazabatas*, gentem circa Maeotim, et *Ixibatas*, viri docti nomen eiusdem gentis putarunt; Sauromatas fuiſſe refert Ephorus, apud Stephanum. *Iaxabatae*, primis litteris videtur reſpondere tribus primis litteris in nomine *Iazyges*. Nec magnopere mouemur, quod *Ortelius (in Daciarum et Moeſiarum vetere deſcript.) Sigynnos* collocet ad *Naparin* fluvium, a dextra; et ad tabulae partem ſiniſtram *Iazygas*, illi enim *Sigynni* Herodoti, locum mutarunt, nec recte iſthic ponebantur, etiamſi Iazyges ab illis diviſi et diverſi credantur. Itaque Sigyes, Sigynnes, Iazyges tam paruo intervallo nominis differunt, vt, cum cetera conveniant, credere liceat, eſſe gentem eandem. Accedit et hoc argumentum: Herodotus ſuo tempore Iazygas nullos nouit; Sigynnas, Sigynnos nouit; poſt Herodotum, nemo Sigynnos nominat, praeter eos, qui ex ipſo hauſerunt. Cteſiae tempore forte adhuc hic haeſerint, ſed poſtea nulli ſuperſunt Sigynni; notiſſimi vero, *ſupra Iſtrum*, Iazyges. Herodotus autem, maximam gentem fuiſſe, innuit, quae tenuerit omnem regionem vſque ad Henetos iſtos, ad mare Adriaticum; itaque periiſſe illa gens non potuit; licet ſub aliis nominibus in nouas gentes, pro finium varietate, diviſa fuerit.

 3) Sum

III) Iam illa *Herodoti* ſententia excutienda eſt qui dicit *Sigynnorum*, trans Iſtrum poſitorum, fines pertinere vſque ad Enetos in Adria, eosque ipſos ſe colonos Medorum, fateri. Nempe vtcunque interpretemur, res eodem redit; ſiue haec quae de colonia Medica dicuntur, pertineant ad Sigynnos; ſiue ad *Enetos*, habitantes ad Adriam; quos nominauerat poſtremo loco; eoſque ſe colonos Medorum vltro faſſos, et veſte Medica vſos dicamus &c. Dubitatio vero illa, quomodo fieri poſſit, *vt tales* ſe dicant Medorum colonos, videtur commodiſſime ad Enetos trahi. In *Adriam* ſimile, ſed a ſuperiore parte iter narrat *Herodotus*, alibi a): ex Hyperboreis (ſic Delios narrare, ait,) miſſa ſacra fuiſſe ad Scythas, a Scythis ſemper (longo tractu) finitimos quosque accepiſſe, illa porro vniverſum tractum, qui eſt ad occaſum, tranſiniſiſſe vſque ad Adriam, inde verſus meridiem deducta, a Dodanaeis, Graecorum primis, ſuſcepta fuiſſe. Certum eſt igitur Herodotum hos Scythas, ſeu barbaros, quos variis iam nominibus diſtinguit, multo propius noviſſe, quam iſtos *Sigynnos* & *Enetos;* iter tamen ad Adriam, nec ab hac parte inferiore, ignotum omnino fuiſſe. Porro alio loco narrat, b) Phocæenſes Graecorum primos nauigatione vſos, Adriamque ſimul et Tyrrheniam, Iberiam atque Tarteſſum oſtendiſſe. Nempe iam habitatam ac incolis plenam invenerunt Adriam; nam certum eſt, antiquiſſimorum latinorum ſcriptorum (vide *Catonem Cenſorinum*, *Sempronium Aſellionem* apud *Dionyſium* c) et copioſam Theodori Ryckii diſſert. de primis Italiae colonis) auctoritate, ex Achaia iam ante Troianum bellum veniſſe incolas in Ita-

liam

a) L. *IV*. p. 294. *edit. noviſſ. Weſſelingianae.*

b) L. I. p. 77.

c) L. I.

liam, quos latini ſolebant aborigines dicere Ipſe Dionyſius mauult, Arcades fuiſſe, qui, duce Oenotrio, uenerint in Italiam, XVII aetatibus ante Troiae excidium; de qua lite operae non eſt pretium, vel verbum addere; ſufficit enim Italiae colonos fuiſſe Graecos. Succeſſerunt autem noui ſemper coloni e Græcis, licet accurate deſcribi tempora non poſſint. Itaque, cum tam multi Graeci coloni ſenſim in eas regiones venerint iam ante bellum Troianum: ſatis eſt veroſimile, etiam *Enetos* illos ex Aſia poſt fatale bellum veniſſe. Quid autem ſit tandem, quod vlla iuris ſpecie vetet, quo minus hos eoſdem fuiſſe ſtatuamus, quos Homerus iam celebrabat, habitantes iſto tempore circa Paphlagoniam? Herodotus certe videtur idem ſtatuiſſe, quia nihil omnino addit de iſtis *Enetis* Adriaticis; quaſi noti eſſent ex Homero, quanquam migrationes et itinera multarum gentium ſaepiſſime narrabat. Idem vero *Herodotus* a) mentionem facit *de lege quadam*, qua *etiam Illyriorum Eneti* uterentur; his verbis: *qua etiam Enetos Illyriorum audio, vti.* (*Enetos ex Illyriis* in verſione latina legimus). deſcribuntur autem illi *Eneti*, qui habitant inter Illyrios; nempe ad mare vſque Adriaticum. Itaque diſtinguit hos *Enetos*, qui hic habitant, ab illis eorum fatribus, qui in Paphlagoniae confiniis remanſerant, quorum reliquias paulo poſt propius cognoſcemus, ex *Ptolemaeo* et *Appiano*. De migratione Enetorum iſtorum ad mare Adriaticum, oportet olim Poëtas hiſtoricoſque multos copioſe narraſſe, ſiquidem non ſolum *Virgilii, Ouidii, Liuii* b) &c. ſuperſint documenta, ſed etiam *Polybius* ſic ſcribat: „Padum fluuium porro accolunt Cenomani; quod ſupereſt „deinde ſpatium ad Adriaticum ſinum, alius populus „longe

a) L. *Ed. Weſſelingianae* 93.

b) *Tom. I. L. II. Sect.* 17. *p.* 170. *edit. intimi amici mei Erneſtii.*

„longe *antiquissimus* obtinebat; nominantur Veneti; ser-
„mone diuerso a Gallis vtentes, cetera moribus et cultu
„similes. De his tragici Poëtae cebram mentionem fe-
„cerunt, et multa mirabilia narrant.„ Notabimus, iam
Polybium addere adspirationem, quandam Ου, — Gallis,
Germanis *uau*, Illyris *Wo*, Polonis *Wu* litteram nostram;
eumque fateri, *alia lingua* hos uti, quam Celtas, Quod
autem de Poëtis addit, hoc ipsum est; venisse hos *Venetos*
post Trojae excidium longo errore tandem in hanc
regionem.

§. III.

DE HENETIS PLURA EX STRABONE ET ALIIS.

Strabo sic scribit: a) de Henetis duplex est sententia;
alii eos dicunt colonos Celtarum Gallorum, qui ad
Oceanum habitant. Alii vero ex Trojano bello cum
Antenore quosdam Venetorum Paphlagoniae eo venisse,
statuunt, equorum praestantia et vsu celebres; quod stu-
dium hoc quidem tempore apud eos nullum superest;
antiquitus vero locum habuit; sicut *Dionysius*, Siciliae
tyrannus inde Hippotrophaeum instituit: vnde et nomen
Henetici equorum generis; mulas autem *Enetorum* agres-
tes iam Homerus celebrauerat. (celebratos olim fuisse
Heneticos equos, vid. *Bocharti Hierozoicon*) Atque hic vide-
mur non male addere quidquam de factionibus olim tam
celebribus, colorum diuersitate in certamine circensi
distinctis. Chronicon *Alexandrinum* b), Romuli iam
tempore colorem *Venetum* designat, *Benetum* scri-
bens

a) Lib. V.
b) p. 112. *edit. Parisina*, p. 90. *edit. Venetae Corporis Byzant.*

bens, *Venetae* tincturae, cæruleæ. Idem *Strabo* a) locum Homeri de Henetis affert, et quaerit; quosnam Poëta hic *Enetos* indicet? Neque enim ſuo *tempore* inueniri *Enetos*, in Paphlagonia; monſtrari tamen *pagum* nomine Henetum aut Heneticum in littore, x ſchoenis ab Amaſtri; (*Zenedotus* autem, in Homero, genere nominis mutato, legebat Henetam, eſſe vero eandem vrbem putabat, quae Amiſus iam dicitur;) Iam pergit: alii vero referunt φῦλον (tribum, populum) huius gentis prope Cappadoces, bellum geſſiſſe cum Cimmeriis, inde vero longius errore delatum tandem in Adriam deueniſſe, vel ſine conſilio; ſic enim ἐκπεσεῖν, (excidiſſe) intelligendum eſt. Ipſe *Strabo* iam dicit: probabile eſſe, ideo defeciſſe in Paphlagonia *Enetos*, quia euerſa Troia, amiſſo duce, itineris fato in Thraciam deuenerint, atque inde in Eneticam; eſſe adeo, qui *Enetos* Antenore duce, eiusque filiis comitibus, hanc nauigationem confeciſſe narrent; hos iam in Adriatici maris intimo receſſu, ſedes paraſſe. Quod attinet ad gentem Enetorum, Cappadocibus conterminam, quae cum Cimmeriis bellum geſſit, Herodotus ſaepius commemorat *Cimmeriorum* expeditionem, Croeſo antiquiorem; et ducem Scytharum *Madye*, tradit exercitum duxiſſe in Aſiam, Cimmeriis ex Europa eiectis; quos Scythae fugatos inſecuti in Mediam penetrarunt. *Strabo* b) cum migrationes gentium multarum recenſet, repetit etiam ipſe, migrationem Enetorum ex Paphlagonia ad Adriam; atque ibi, narratis itineribus ſub rege Scytharum Madye, Cimmerios ſaepe feciſſe tales expeditiones, etiam in Paphlagoniam et Phrygiam &c. auctor eſt. Hic etſi non omnia plane conſentiant: ſatis tamen conſpirat multorum et

a) Lib. XII. b) L. I.

et variorum auctorum narratio, Enetos istos tandem, quocunque casu, peruenisse ad mare Adriaticum.

Ad Scytharum illam expeditionem in *Mediam*, haud dubie pertinet locus a) ubi dicit Scythas, qui Parthos condidere, sine dubio venisse ex regione Europae; itaque et Iustinus affirmat, *Scythico* sermone *Parthes dici exules*, quod et *Eustachius* b) (ad Dionysium) aliique scriptores auctumant. Stephani verba haud dubie huc referenda sunt: Parthyaei, gens olim Scyihica, quae deinde fugit vel emigrauit supra Mediam seu Medos, vt viri docti emendarunt (*Medes*, *Madys*, haud dubie idem indicat) dicti a fuga, quoniam Scythae — exules vocant Parthos; adde his, vocem illam *partti* Venedice significare, *para viam* quae vox omnino non aliena est ab exule. Porro vero, vt illa continuemus, quae de Scythis Medis sunt tradita, *Plinius* c) de Maeotide palude scribit: incolunt Sarmatæ, Medorum, vt ferunt, soboles; nempe *Medorum soboles*, noua quasi familia et progenies, sed oriunda a uetustis illis, qui *Scythae*, et aliis nominibus antea dicebantur. *Trogus* d) vero; Sermo his, (Parthis) inter Scythicum Medumque medius, ex vtroque mistus. Vestis dein sui moris, armorum patrius ac Scythicus mos &c. vbi conuenit *patrius* cum *Scythicus*. Sic etiam Iustinus Sarmatas, vel Scythas antiquiores, progenitores Parthorum dicere potuit. De redeuntibus ex Media Scythis in patriam, *Herodotus* e) initio loci de Sauromatis: nos postea §. 5. dicemus plura, auctore Diodoro, qui, Scythas abduxisse colonias ex Assyria et Media, narrat, et sic *Sauromatas* ortos. Talia testimonia sufficiunt ad probandum;

a) L. VI. c. 2.

b) *in nomine Parthyæi.*

c) *Vid. testimonia apud Assemannum* T. I. L. VI. VII. Calendariorum Eccles. universae pag. 200.

d) L. 41.

e) L. IV.

dum; *Enetos,* inde ab ultima hiſtoriae, quae ſupereſt, vmbra, inueniri inter eos populos, quos Graeci barbaris ſolebant annumerare; eoſque bellis gerendis adſuetos; equorum praeſtantium nomine celebres, tandem caſu quaſi quodam deueniſſe ad mare Adriaticum.

Stephanus de vrbibus, pleraque iſta confirmat his verbis: „*Eneti*, (verſum *Homeri* adfert) habitabant circa „Paphlagoniam, nempe eo olim ducti ex Media; vt „Diodorus narrat. Sunt quoque *Henetides Equae* &c. *Berkley* iam ibi attulit ex Euripidis Scholiaſte, ad verba: *iugum equorum Heneticorum*, illud: *Eneti gens Paphlagoniae.* Idem Solinum iam advocavit: qui Paphlagonia, ait; inſignis *loco Heneto*, a quo, vt Cornelius Nepos perhibet (ſic *Berkley* laudat ex *Solino*) Paphlagones, ſcillicet illi Eneti, in Italiam tranſuecti, mox *Veneti* ſunt appellati.

§. IV.

EX PTOLOMAEO LUX QUAESITA; MUTATIO LITTERAE *D*, ET *T*, VENETI VENEDAE.

Sed opus eſt forte, ob dubitandi ſtudia, pluribus teſtimoniis; ipſum *Ptolemaeum* a) igitur advocamus, qui de ſuo tempore ita refert: „Intra Paphlagoniam magis occidentales ſunt *Tiliſtobogi* (varie nomen ſcribunt) in quibus *ciuitates*:

Germa, colonia,
Peſſinus,
Vindia,
Andrus, (Anarus)
Tolaſta regio
Vegiſtum, (Veteſtum)

 Poſt

a) L. V. C. 4. *de Galatia.*

Post hos, versus orientem, Tectosacae, in quibus vrbes,
Ancyra,
Olenus,
Corbeuntus,
Agritala,
Vinzela &c. Non possum non dicere, quod auxilio vernaculi sermonis reperi, Venedicas esse voces. Scimus ex ipso Ptolomaeo, *Cistobogos*, vel *Cistobocos* fuisse Venedos. Sed non sine admiratione deprehendi, eorundem Venedorum tribum, *Tolistobogos*, similis omnino terminationis, eiusque nominis significationem in promtu esse, cum Tolistoboci, per K Venedice scribendum, sit exul. a) Tolacz nobis est, quem *Seneca* vagabundum, *Gellius* erraticum hominem appellat. Meminisse hic iuuabit *Curtii* et Eustachii, quorum auctoritate, vt paulo supra dictum est, Parthos exules appellatos patet, adeo *Tolistobogos* Henetos alia tantum voce etiam exules fuisse dictos.

Quod ad *Germa* Venedice *Germak* b) attinet, est vestis talaris vulgi in publicum prodeuntis, *Germec* c) vero *armigerum* significat.

Sed si mihi contigit, vt invenirem *Vindiam* apud Ptolemaeum in Paphlagonia: doctis indicandum permitto, an non, quod ego quidem sentio, hoc instar omnium argumentorum probet, Henetos esse Venedos. Tolasta cum Tolibocis, Vinzela cum Vindia multum affinitatis habere videtur.

Meminerimus, et *Solini* d) testimonium sic ferre: „Paphlagonia insignis *loco* Heneto, e quo, vt Cornelius „Nepos perhibet, Paphlagones in Italiam transvecti, *mox* „*Veneti* nominati.„ Docuit iam *Salmasius*, huic scriptori *locum*

a) *Dict. Cnapii.*
b) *B. Dict.* p. 109.
c) 19.
d) c. 44.

locum valere idem ac pagum, vicum, oppidulum. Sed et Salmasius admonet, Plinium Nepotis verba sic recitare: *oppidum, Mastya Milesiorum* et *Cromna; quo loco Henetos* adiicit Nepos, a quibus (scil Henetis) in Italia ortos, cognomines eorum, Venetos, credi postulat; seu, vt emendat *Salmasius*, „credi ex re putat. Quicquid sit: certum est, *Nepotem* suo tempore, hac in regione adhuc *Henetos* reperisse. *Appianus* a) similiter in Mithridacis narrat, *Syllam* vastasse gentes Macedoniae adiacentes, *Enetos* Dardanaeos, et *Eintos*; quod postremum nomen postea *Wintos; Windos* sonare solebat. Itaque lectoribus satis iucundum videbitur ex illo etiam tempore, tam diverso, superesse in regionibus istis *Enetorum* memoriam, atque Ptolemaeum, adspiratione addita, scribere *Vindiam*. Idem igitur Ptolomaeus in Europae Tab. 7. primus, quantum scimus, nominat *Venedicos* montes, extra Carpatem et alios, qui Sarmatiam cingunt; atque porro sic scribit: „tenent autem Sarmatiam gentes maximae, *Venedae*, iuxta totum Venedicum sinum. — Venedis, e minoribus Sarmatiae gentibus, sub sunt Gythones &c. Sicut igitur Venedicum sinum et Venedicos montes, Ptolemaeus nominat, quae nomina nondum Strabo vsurpavit: ita etiam in Paphlagonia Vindiam idem Ptolemaeus, ex vsu et more sui temporis appellavit. *Venedas*, sic enim scribit, gentibus maximis annumerat, licet ante ipsum nemo hanc gentem his litteris scripserit; sic *Alaunos*, (Alanos) Scythas idem nominat; vti alibi alias gentes non paucas, plane inauditis antea nominibus appellat. Nempe ex isto loco *Strabonis*, b) quem afferebamus sub initium III. §. satis patere potest, adhuc *Strabonis* tempore non *ignoratum*

a) p. 143. *edit. Caroli Steph.* 1551. *fol.*
b) L. XII.

ratum fuiſſe, Enetorum tribum, (haud dubie grandem) cum Cimmeriis iunctam bellum geſſiſſe; atque inde latius errantem perueniſſe ad Adriam. Vna pars veteris rei geſtae ſupereſt; partem, alteram adiungimus. Obſcuram alias narrationem illuſtrat Ptolemaeus; dum in *Sarmatia* ponit *Venedas;* quis tandem dubitet, hanc fuiſſe *partem eorum*, qui vſque ad Cimmerios penetrarunt; quorum pars altera ad Adriam conſedit? In iſto temporis ſpatio, a Strabone ad Ptolemaeum praeterlapſo, facile credimus, plura innotuiſſe ſcriptoribus diligentibus; atque per illud tempus etiam, vt fieri ſolet, pedetentim immutata pronuntiatio eſt, vt *Venedae* ab vrbe Henetorum auctore Ptolemaeo dicerentur, qui olim rudiori nomine *Eneti*, Graecorum more dicebantur. Similiter in Paphlagonia, diligentia Ptolemaei, reperitur vrbs *Vindia;* licet Strabo illam neſciuerit; ſunt enim infinita, quae Ptolemaeo debemus; quae quidem ex Strabone diſcere nullo modo poteramus. Exſtat autem *Vindia* etiam in Antonini itinerario (in Periplo Ponti Euxini) hoc ordine: *Iter a Peſſinunte:*

Ancyra,
Germa,
Vindia, (in quibusdam libris, Vinda;)
Papira.

Nos vero arbitramur, carere fere omni dubio, eo tempore iam valuiſſe molliorem pronuntiationem, *Vindiae*, quae memoriam ſeruauerit veteris *Enetiae*, aut *Enetae;* ſicut noua forma eſt Venedae, quam ante Ptolemaevm non inuenimus. Nempe cum accederet digamma aeolicum ad nomen vetus, ſimul mutata eſt littera *t*, in *d;* ſicut graecis olim ipſis non raro in vſu fuit, vt Euſtachius aliquoties admonet, *d* et *t* in quibusdam vocibus mutari.

Latinos autem, seu Romanos, vtrâque littera *d*, et *t*, saepe promiscue vsos fuisse, quis ignorat? Itaque *apud* scribebant et aput, *haud*, *haut*; *Tango* ex θίγω. Sic *Arrianus* a) ipse confirmat, Tyana, olim Thoana fuisse; Endelechia et Entelechia scribitur; b) *Eustachius* Kutoron et Kudoron commemorat, per *t*, et *d*; scriptum sic Brentesium et Brendesium, Benebentum et Benebendum, in Stephano reperimus; sed non putamus pluribus exemplis opus esse. Atque, ne longius discedamus, iam *Bochartus*, c) vir longe eruditissimus, atque diligentissimus harum rerum explorator, nil moratus litteram vnam, sic interpretatus est, vt compositum esse statueret, ex *Sar*, reliquiae, et *Madai*, *Sarmatarum* nomen, eosque Medorum diceret reliquias. Itaque litteram *d*, et *t*, mutari, facile passus est. Hanc Bocharti sententiam de origine nominis Sarmatarum etiam recentior auctor amplexus est, qui multam diligentiam impendit rebus Slauicis illustrandis, Iosephus Simon *Assemannus* d) qui sic scribit: nec displicet coniectura *Bocharti*; quum ait, *forte dicti* Sarmatae ex Chaldaeo, Sear, vel Sar Madai, quasi Medorum reliquiae. Nempe antiqua iam est illa traditio; Plinius certe dixerat: Sarmatae, Medorum, vt ferunt, soboles; quam rem iam antea pluribus illustrauimus. Ferunt etiam Scythae regem *Madys*, quod est idem nomen, gentile, ac domesticum, sub ista tempora.

§. V.
DE SAVROMATIS, SARMATIS.

Antiquissima mentio Sauromatarum, fit in Scytharum in Sarmatiam inuasione, quae, cum ante in suis sedibus

bus

a) Edit. Wesseling. p. 201.
b) vid. Luciani judicium vocalium.
c) Phaleg. et Canaan. lib. III. c. 14.
d) Kalendaria Ecclesiae. vniuersiae T. I. p. 201.

bus diu latuissent et circa res Asiae sibi proximae duntaxat occupati fuissent, consensu omnium historicorum ad tempora Ottonielis refertur, qui cir. an. Mun. *2669.* et ante Chr. nat. 1304. florebat. Apud *Herodotum* a) vero tum demum de iis sermo est, cum de *Darii* bello in Scythas mentionem facit. Consulturos scilicet tradit Scytharum plures reges finitimos, quomodo *Darium* repellerent, coiisse, Scytharum precibus, Regem *Taurorum*, *Agathyrsorum*, *Neurorum*, *Androphagorum*, *Melanchlaenorum*, *Gelonorum*, *Budenorum* et *Sauromatarum*. Quod quidem accidit circa annum ante aeram Christianam 508. Describit deinde hos populos; de *Sauromatis* autem haec refert: Graecos victores olim *Amazonum*, ad Thermodontem fluuium, abduxisse tribusnauibus Amazones captas; has, occisis Graecis, naves vento permisisse, sicque ad Cremnos, praerupta Moeotidis venisse, in regionem Scytharum liberorum; tandem Scythis coniunctas juuenibus, iis persuasisse, vt *Tanai* transmisso, habitacula quaererent, confecto itinere 3. dierum a Tanai, versus orientem; et 3. a Maeotide palude, versus aquilonem; Sauromatas igitur hos lingua *Scythica* vti, sed *soloecizantes* - nominat postea etiam regionem *Sauromatida*, haud dubie graeco nominis modo, atque distinguit a *Scythica* seu *Scythia*. *Sauromatas* etiam *Ephorus* scribit apud *Strabonem*. b) *Strabo* vero Choerilum citauit, qui de eadem *Darii* expeditione versus fecit, et *Sacas* nominauit, gente Scythas, nam Persae omnes Scythas solebant Sacas nominare; quem locum *Herodotus* c) attulit; et *Holstenius* ad Stephanum, nomine *Sacae*. Sic et *Plinius*: d) vltra sunt Scytharum populi; Persae illos *Sacas* appel-

a) Lib. IV.
b) Lib. VII.
c) Lib. VII. c. 64.
d) Lib. V. c. 17.

appellauere, a proxima gente. Idem aſſorit Ephorus, vt diſcimus ex Stephano (in voce Amazones collato Berkelio) qui diſerte dicit, Ephorum Amazones ad Thermodontem ponere, atque addit, eas nunc (ſeu ſeriori tempore) vocari *Sauromatidas.* Nempe plane ad *Herodoti* narrationem reſpicitur; id autem bene intelligendum eſt, eas ſeriori tempore *Sauromatidas* nominari; non quod eſſent ſine maritis, vt narratur de Amazonibus; ſed quia bella gererent. Meminimus, nos ſupra Parigrapho III. Henetos praedicare equorum amatores et eorum domandorum peritos: a ſimili, vt videtur, Sarmatarum, quos Syrmatas appellat, ſtudio *Scytax* in Periplo, Hippomolgos eos appellatos fuiſſe dicit, quod certe dignaum notatu. *Euſtathius* vero a) vtrasque foeminas diſtinguit: „Sauromatarum, ait, „xvores virilem veſtitum induentes, bellum gerunt, quod „etiam Amazones faciunt &c. „ Sic Clemens, *Alexandrinus,* Stromaton b) de ſuo refert tempore: „audio mulieres „Sauromatidas non minus bello dare operam, quam viros, „et praeterea mulieres Sacidas. &c.„ Errauit Stephanus; nam Anonymus auctor Peripli Ponti Euxini, quem poſt Scylacem Voſſius edidit, Ephorum citauit, eadem narrantem, quae narrabat Herodotus. Ex eodem Stephano repetimus *antiquae* hiſtoriae partem; *Sauromatas olim,* inde a longo tempore, in Europam arma intuliſſe; ſed ibi occiſos, inde mulieres ſolas &c. quae poſtrema parum curamus; id tantum notantes: Sauromatas iam antiquitus in Europam armis ingreſſos; licet de rebus ibi geſtis accuratius nihil fere ſciamus; nam, quae *Berkelius* ex Iuſtino c) laudat, parum illam hiſtoriam illuſtrant. Meminerimus tantum, Strabonem,

a) Iliad. Σ. pag. 1159, *edit. Romana.*

b) Lib. IV.

c) Lib. II. IV.

nem, vt §. III. dictum est, mentionem facere de quorundam traditione, qui φῦλον, vel partem populi, prope Cappadoces, bellum gessisse cum Cimmeriis, atque inde longius delatos, post multum itineris errorem, peruenisse ad Adriam auctument. Vix locus est dubitandi, vtrum sint iidem, de quibus hic narratur, cum *Enetis* illis, quos Homerus adiecit Paphlagoniae, quae a *Cappadocia* flumine diuisa fuit, vel Enarcho (vt in Stephano exstat;) vel *Euphrate*, vti legendum putabat *Berkelius*. In Europam ergo et Sauromatae penetrarunt, et antiquiores Heneti; itaque *Sarmatiam Europaeam* et Asiaticam diuiserunt scriptores recentiores; antiquissimae vero historiae tantum pauca superesse vestigia, mirari non possumus; quia ipsi graeci scriptores, cum delabuntur ad Etymologias, (*Sauros* et *ommata*, oculi lacertarum; aut matas, *voratores*, quia lacertas edere solent) facile ostendunt, antiquioris historiae ipsis parum innotuisse.

Nunc praecipue attendamus, Herodotum iam distinguere Sarmatas a Scythis; itaque et illas mulieres, linguae Scythicae ignaras, maluisse in alia regione viuere; in noua sede Sarmatia, in qua nomen fluuii Lycos in *Maeotin* influentis inuenimus, sicut in Paphlagonia est Lycus. (Sic enim solebant *noui coloni* priscarum sedium imaginem sibi reddere.) Herodotus a) igitur sic omnino scribit: „Trans flumen autem *Tanain non amplius* regio Scythica, „sed prima quidem λαξίων Sauromatarum est, qui a recessu „Maeotidis paludis incipientes incolunt tractum, qui spe„ctat Aquilonem, iter dierum XV. vacuum prorsus ar„boribus, tam agrestibus, quam mitibus. Supra hos ha„bitant secundam portionem Budini &c.„ In quo loco interpretando, Valla et alii *Laxiorum* gentem sibi visi sunt

a) Lib. IV. p. 290. c. 21. veteris edit.

ſunt reperire; cum tamen nomen *Laxis* item ſit, ac *portio*; *Laxiorum* vero gentile nomen non minus ſit ſerioris aeui, ac nomen *Slauorum*; inauditum certe Herodoto et poſt eum aliis. Recte enim Weſſelingius notauit *Bayerum*, qui in Commentar. Acad. Petropolitanae, a) Herodoti hunc locum erroneum eſſe putabat, quod nomen proprium, Lazorum, Laziorum, in nomen appellatiuum conuerterit. Tacent antiquiores Scriptores, *Strabo* etiam, qui tamen multos legerat; Arrianus vero in Periplo Ponti Euxini veterem Lazicam nominat. Herodotus b) iterum diſtinguit Scythas et Sarmatas in verbis: „octauus fluuius *Ta-*„*nais*, qui ſuperius e vaſta palude profluens, in aliam va-„ſtiorem diffuuditur, nomine Maeotin, quae diſcludit „Scythas regios a Sauromatis &c. Accedit auctoritas *Dio-*„*dori Siculi* c) qui ita ſcribit: a regibus illis (Scytharum) „cum aliae, tum *duae maxime coloniae*, ex gentibus, bello „ſubactis deductae ſunt, quarum altera ex Aſſyriis *trans-*„*lata fuit* in agrum Paphlagoniae et *Ponto* interiectum; „altera ex Media, ad Tanaim collocata fuit; cuius populi „*Sauromatae* nominantur. Qui multis poſt annis, nume-„ro et viribus aucti, magnam Scythiae partem deuaſta-„runt, et omnibus, quos debellauerant, internecione ſu-„blatis, totam fere deſolauere. Inde, deficiente Scytha-„rum principatu, foeminae Amazones &c.„ Ex hoc Diodori loco putamus praecipue cauſſam noſtram et illuſtrari, et confirmari poſſe, I.) Scythas ex aliis prouinciis captos, colonos multos deduxiſſe alium in locum; II.) praecipue coloniam ex Aſſyriis transtuliſſe in agrum Paphlagoniae et Ponto interjectum; III.) coloniam ex *Me-*

 dia

a) Tom. I.
b) p. 155. Ed. Weſſeling. Tom. I.
c) Tom. I. Lib. II. p. 155. edit. Weſſelingianae.

dia ad *Tanaim* et huius coloniae populos, nouos ſcilicet, iam ſenſim ſuccrescentes, Sauromatas dictos fuiſſe. Igitur clariſſime diſtinguit Sauromatas a Scythis, vt paulo poſt Scytharum victores; nomen et *originem* Sauromatarum deſignat, conuenitque cum Herodoto in eo, quod ad Tanain, nempe transmiſſum, Sauromatas ponat; hosque populos demum ex colonia Scytharum ortos affirmet. Herodoti narratio parum differt; qui auctumat, Amazones quasdam e Scythis maritos accepiſſe, iam nouam effeciſſe coloniam, et transmiſiſſe Tanaim. (Sauromatica Scythia dicitur in Stephano, voce Amazones.) In tam remoto tempore, qui poſſimus lucem hiſtoriae majorem ſperare? *Euſtachius* (in Dionyſium Periegetam) diſerte affirmat, Amazonas etiam dictas fuiſſe *Sauromatidas*, quia in Scythia Sauromatica olim vixerint. Cum licuerit laborioſo *Bocharto* (cum quo Aſſemanus, in Calendariis Eccleſiae vniuerſae, vt iam diximus, conſentit) *Sar Madai*, reliquias Medorum, interpretari: conſulendos mihi eſſe duxi linguae graecae hebraicaeque peritos, ex quorum ad meas quaeſtiones reſponſis puto me poſſe alio modo coniicere, vnde id nomen venerit. *Sar* (alia littera S.) vocali craſſiori, ad *au* accedente, eſt *peregrinus*, apud Hebraeos et alios; *Mad*, Medi ſunt; vnde Sauromadai; graeco more, interiecto vocali ad facilem pronuntiationem, Sauro-Matai, *peregrini*, ex Media, ad Tanaim traducti. Iidem Scythae colonos duxerant in partes Paphlagoniae et Ponti; nempe illos omnino, qui Eneti dicebantur, equorum praeſtantia non minus, quam Scythae inſignes; de quibus et apud Herodotum mentio fit, qui narrat, eos Medorum colonos ſe dicere; poterant enim domeſticae hiſtoriae ſummam vel ſecula plura retinere et ad poſteros transmittere. Hac ratione enim intelligimus, rem ſic omnino ſe habere, licet Herodotus rei mo-

modum non didiciſſet. Sic Plinius recte, licet breuius: *Sarmatae Medorum ſoboles;* ſeu colonia; eum in locum ex *Media* abducti olim per Scythas. Omnia conſpirant. Itaque exules dicti a Scythis, ſeu Parthi, ab aliis vero, Sarmatae, Sauromatae appellati. Hi igitur Sarmatae ſenſim longius per Europam ſiue verſus ſeptentrionem et ortum, ſiue verſus meridiem penetrarunt; ſed inde a Romanis latinisque ſcriptoribus *Euetorum Venedarumque* nomina praecipue ſeruata fuerunt; ſicut poſtea nomen *Slauorum, Antarumque* ibidem valuit. Iam et illum *Ouidii* verſum intelligimus melius:

„Nam didici Getice Sarmaticeque loqui.„

Scythica lingua alia, quam Sarmatarum; atque iam Herodotus, loco, ſupra laudato, cum de Sarmatis, ex Amazonibus ortis, ageret, dixit, ſermonem illorum eſſe *ſoloeciſſantem*, minime pure et vere Scythicum. *Cluuerius* a) quidem vniuerſas Sarmatiae gentes habitu armis, moribus, viuendique ratione fuiſſe Scythis ſimillimas, aſſerit, ſed easdem cum Scythis eſſe, affirmare non audet. Poſſumus autem luculentius hoc efficere, cum Philo Stephani teſtimonium in Apollonii b) Argonauticorum *Scholiaſte* ſuperſit, *Amazones* vti lingua Thracica; Sauromatidas vero et Amazones eaedem ſunt.

Sed liceat paulo propius inhaerere antiquitatis illis veſtigiis. Ex *Aſſyriis, Syriis*, vtcunque deſignentur, colonia in Paphlagoniam ducta fuit. *Leucoſyros* et *Strabo* et *Euſtachius* commode hic ad Diodorum illuſtrandum offerunt. Nempe fluuius ille *Thermodon*, quid tandem aliud prae ſe fert, quam *Sar* (ϑ, th blaeſum) *Mod*, vel *Mad;* mathon, *Tharmadon*, ad graecam linguam, quaſi a ϑεǫμος, Thermodon, etſi non amamus Etymologiarum luſus, videtur

a) Lib. IV, c, 22. b) Lib. II.

detur nobis ſine ſedulitate moleſta, oſtendere eosdem colonos, *peregrinos*, ex Media, Aſſyria. De his Aſſyriis *Weſſelingius* ad locum Diodori addit: „quam coloniam in „animo habuerit, coniectando forte aſſequemur. Pontum „inter et Paphlagoniam Aſſyrii, quos alii *Syros* aut *Leucoſy-* „*ros* nuncupant, incoluere; teſtibus Apollonio, Rho- „dio, a) Dionyſio b) et Strabone. c) Syrorum aut Aſſy- „riorum eſſe propaginem, nomen argumento eſt. De- „ducti itaque patriis e ſedibus in eos ſunt in agros, et a „Scythis quidem, ſi verum noſter dicit. Neque enim „eam Scytharum coloniam, quae in Cappadociae ora ad „Thermodonta conſedit, de qua Iuſtin II. 4, intellexit, „quippe ex ipſis Scytharum finibus emiſſam.„ De illa vero altera colonia idem *Weſſelingius* ſcribit: „Ad Tanain „et Moeotin Sauromatas locat et Herodotus IV, 57. et „Mela, I, 19. qui ſi e Media fuerint deducti, ſedem eo „tempore mutaſſe videntur, quo Scythae, Cyaxare victo, „Medis imperarunt,„ eodem I, 106. auctore: „Verum „haec (ſcilicet *quando* iſta colonia abducta ſit) dubia admo- „dum ſunt atque incerta; quia de antiquiſſima illa hiſto- „ria Scythica, et Medica ſeu Aſſyriaca parum certi indicii „ſupereſt. Narrant tamen *Diodorus* d) et *Iuſtinus* e) Scy- „tharum in Aſia res bellicas, ante *Ninum* regni Aſſyriaci „conditorem. Quae vero de Sauromatarum in Scythiae „agros excurſionibus adduntur, ea *Strabo* f) non inſtringit.„ Haec Weſſelingius. Nempe Strabo eo loco dicit, „mi- „grationes populorum contingunt, vbi finitimi in imbe- „cilliores impetum faciunt; ſicut, qui ſunt trans Iſtrum „Scy-

a) *Apollon. Rhod.* lib. II. v. 966.
b) *Dionyſ. periegeſi verſ.* 772.
c) *Strab.* Lib. XII.
d) *Diodor.* Lib. II.
e) *Iuſtin.* Lib. I.
f) Lib. VII.

„Scythae, Baſtarnae, et Sauromatae ſaepe praeualuerunt, „pulſisque aliis in eorum loca immigrarunt, quidamque „eorum vel in inſulis, vel in Thracia ſubſtiterunt.„ Nempe facile credimus, coloniis aliquo transferendis, haud dubie dominos nouae coloniae etiam aliquos e ſuis addidiſſe comites; atque, ſi cetera conueniunt, etiam illam coloniam ad Thermodontem, *tam dici et nominari* poſſe Scytharum, quam coloniam Syrorum, Aſſyriorum, Medorum; e quibus hominibus noua colonia exibat. Quod autem *eos* Aſſyrios intelligi vult eruditus Weſſelingius, quos *Herodotus Syros* i. e. Cappadoces nominat, ſicut Apollonius Aſſyriam etiam nominabat, loco Cappadociae, (Scholiaſte a idem dicente vix) auſim ipſe ſtatuere. Quis enim Coloniam dicat, ſi transmiſſo fluuio, Haly, ex vno fluuii latere quidam in alterum ſecedant? Atque vnde tandem et hi Syri ſunt? Nos minime dubitamus, Aſſyrios intelligendos eſſe, quorum imperium Medi ſuſceperunt per Arbacem; itaque Diodorus noſter primum ponit Aſſyriorum coloniam; et altero loco *Medorum*, vt *Medobithyni* et *Maedi*, gens Thraciae, forte et *Medeae* illa fabula huc pertineat. *Ioſephus* b) certe non ſine ratione iam animaduertit: „Graeci tandem potentiam nacti, ſuam fecerunt gloriam vetuſtiorum, ornantes nomina gentium, „prout ipſis facilius intelligebantur, tanquam omnes gen„tes ab ipſis Originem ducant.„ Veriſſima haud dubie obſeruatio. Neque cauſſam video, cur illa demum expeditio, rege Cyaxare ſuſcepta, intelligenda ſit? *Diodorus* certe de antiquiſſimis rebus ſic narrat: „Scythes rex, Iouis filius; „2. filii, *Palas*, *Napes* imperium diuidunt; tandem cre„verunt vires bellicae; terras *vltra Tanaim*, et ex altera parte,„

a) Lib. II. v. 948. b) Lib. I. *Antiq.* c. 6.

„parte vſque ad Nilum, multasque gentes ſibi ſubiecerunt „Scythae; Regesque habuerunt memoria dignos; ex hac „gente *Sacae, Maſſagetae, Arimaſpi* et alii. A regibus il„lis cum aliae, tum *duae* maxime coloniae deductae; ex „Aſſyriis vna, in agrum Paphlagoniae et Ponti interje„ctum; altera ex Medis, ad Tanaim, *huius* populus „*Sauromatae;* qui *multis poſt annis* etiam Scythiae magnam „partem vaſtarunt.„ Iam vero addit: „poſt haec defici„ente Scytharum principatu, feminae regum vice funge„bantur &c.„ Iſta narratio de 2. coloniis haud dubie aliquot ſeculorum ante Cyaxarem interuallum occupare poteſt; adeo nullum ſignum ineſt reentioris aetatis. Confirmatur autem iſta vetuſta hiſtoria, qua traditur, coloniam Medorum conceſſiſſe ad *Tanaim*, qui Maeotin lacum intrat, atque multis poſtea annis hos Sarmatas magnam partem Scythiae vaſtaſſe; nempe Scythia Sauromatarum, Scythia Sarmatica etiam appellabatur, ab incolis Sarmatis. *Iaxartes* etiam fuit nomen antiquius Tanais, vnde *Iazabatae*, forſan poſt *Iazyges* dicti, nam illi Sarmatae, et *Ixibatae* dicebantur, qui accolebant, quos Sauromatas Ephorus dixit. Stephanus in Iazabatae, Ixibatae, Tanais. Sic Sarmatiam Europaeam et Aſiaticam recte poſtea diſtinxerunt. Similiter antiquiorum temporum ſunt, quae de *Amazonibus* ſolebant narrari; vt oſtendit *Petrus Petitus* a) in diſſert: de Amazonibus; quam quidem narrationum copiam hic non colligemus. Sufficit ſeriora per tempora regionem circa Thermodontem dictam fuiſſe, *terram Amazonum;* Pompeii certe adhuc tempore *Appianus* b) narrat, in triumpho Romae acto multas etiam repertas

a) C. 42.
b) *Appian. in Mitridat.* p. 140. *Caroli Stephani edit.*

pertas fuiſſe, vulneribus non minus conſpicuas, quam viros; quae Amazonum loco habebantur, ſiue, (ſic iam iudicat Appianus,) a) fnerit omnino gens finitima, Amazonum nomine diſtincta, (*Amazonida* certe terram ſcriptores quidam nominant,) quae auxilia in bellum iſtud ſubmiſerit; ſiue barbarorum more quodam ſolito fortes et bellicoſae mulieres dictae fuerint Amazones. Nec pudet hic etiam referre, antiquius nomen Danubio fuiſſe, *Matoas*, vt tradit *Stephanus* in voce Danubius, quod e graeca lingua originem non habet, ſed ex illa, quam barbarorum dicunt, qui ad hunc fluuium incoluerant; inde non ſine admiratione obſeruaui Venedis *Malcas* per *K* ſignificare *matres* vel *matronas*.

§. VI.

CONSENTIUNT EX RECENTIORIBUS SCRIPTORIBUS MULTI NOSTRAE SENTENTIAE.

Noſtram hanc ſententiam, quae ab *Henetis* illis, a Medis olim oriundis, deducit multas cognatarum gentium familias, quae inde per illa obſcuritatis et caliginis hiſtoricae tempora latiſſimas prouincias occuparunt, *Slauorum* poſtea nomine, multis gentibus communi, comprehenſae; tenuerunt eruditi viri, et numero non pauci, et hiſtoriae ſtudio atque peritia maxime inſignes. Quorum auctoritatem, ſi quidam recentiores ſcriptores tam facile ſpernunt, et ſuae opinioni impenſius fauent, nos quidem facile patimur; ſed et illud ſcimus, aliorum eſſe, ſtatuere, ecquae pars grauitate atque eruditionis hiſto-

a) pag. 154.

historicae existimatione alteri praestet. *Stanislaus* igitur noster *Sarnicius*, eruditus haud dubie scriptor, praefert antiquiorum illa testimonia, quibus constet, ab *Henetorum* gente, post belli Troiani tempora, non parum decoris et roboris accessisse sanguini Sarmatico; siue Antenore duce, siue aliis etiam occasionibus appulerint in Europam; Ptolemaei praecipue testimonio; ait, luculentissime effici, *Henetos*, Venedos, maxima *Sarmatiarum* spatia complexos esse &c. a) Similiter historiarum ille callentissimus *Philip. Melanchthon* et de Polonia scriptis suis optime meritus, praecipue Ptolemaei auctoritate motus, scribit in Chro-

a) *Stanisl. Sarnicki in Longin. Annal Pol. Lib. I. Tom. II. p.* 861. A. M. 2840. *Henetorum cum Sarmatis cognatio*, his verbis vtitur: Quod autem texentibus nobis historiam vetustam de origine et antiquitatibus gentis Polonae sermo delapsus est ad commemorationem Henetorum, qui a Iaphet descendunt, nemini mirum videri debet. Asarmoth enim nepos Noë, fuit praecipuus author, conditor, plantator, et pater gentium Sarmaticarum: Henetorum vero gens suo honore fraudari non debet, cum ab eis non parua accessio, tum supplementum et decus profectum sit post tempora belli Troiani, sanguini Sarmatico. Quod vel ipsius Principis Poëtarum *Virgilii* auctoritate comprobari potest.

„Antenor potuit mediis elapsus Achiuis
„Illyricos penetrare sinus &c.

Antenorem autem ducem, Henetos in Europam tum duxisse, author est Iustinus historicus, *Strabo* et alii. Vnde *Polybius*, qui castra sequebatur Scipionis iunioris in Africam, scribit suo aeuo totum sinum Illyricum eiusque incolas Venetos appellatos fuisse. Et in *Liuio* historico occurit saepius mentio exercituum Venetorum, cum multis post saeculis demum vrbem et Rempubl. Venetorum, quae nunc floret, excitatam fuisse, inter omnes constet. Siue igitur Antenore duce, siue aliis occasionibus appulerint in Europam Heneti, certe pro multis vnus *Ptolomaeus lib.* 3. grauissimus autor, nobis luculentus testis eius rei esse debet, qui affirmat, Henetos populos, qui iidem sunt cum Venetis, maxima Sarmatiarum spatia in Europa complexos esse. Quod autem aliis quoque occasionibus Henetos, asperioribus fortunae casibus actos, in eas regiones se contulisse, praedicatur, non debet absurdum videri, cum etiam nostri historici eos cum Vandalo

Chronico: „nomino autem Henetos omnes, vbicunque „conſederunt, qui lingua Polonica vtuntur . . . . . „Progreſſi Heneti in littore maris Euxini, compleuerunt „magnam partem lateris arctoi in Europa, et adhuc tenent „eas regiones, quae nunc nominantur Ruſſia, Lituania, „Polonia. Et lingua et nomen Venetae regionis, ad ſinum

Vandalo ſecundo huc veniſſe affirment, hoc eſt, ad ſuos populares eadem lingua vtentes. Haec ergo omnia, quae allata ſunt ex hiſtoricis et Poëtis, ſi in vnum conferantur expendanturque, non debet in poſterum cuiquam mirum videri, ſi inter maiores noſtros et conditores harum gentium, non modo Aſarmoth Semi nepotem, ſed etiam donum Graecorum Principem, qui a Iaphet deſcendit, recenſuero. Si quod autem adhuc dubium hac de re lectorem male habeat, reſeruet aures integras vſque ad illum locum, vbi inferius ea de re ex profeſſo inſtituemus tractationem.

Idem Autor de origine Venedorum in Longino T. II. L. IV. p. 978. *et ſeqq. ita narrat, ſub an.* 383. „Sed verior eſt et ſolidioribus nititur fundamentis *Virgilii* ſententia, qui vult dicere, poſt bellum Troianum Antenorem cum Henetis profugiſſe, Achiuos per Illyricos ſinus, vt ſupra meminimus, in qua ſententia eſt et *Plinius*, et autorem eius rei grauiſſimum citat, *Catonem*:„ Venetos, inquit, a Tro- „iana ſtirpe ortos autor eſt Cato: „verba *Catonis* ſic ſe habent: „Venetia eſt omnis ora circum ſi- „num maris poſt Hiſtriam vſque „ad oſtia Padi. Et mox: Venetis cun- „ctis prima origo Phaëtontea eſt, „quae Graecis occaſionem men- „tiendi de Phaëtonte et Eridano „praebuit. Poſterius mixta his no- „bilis ſtirps Troiana, a quibus Pata- „uia ſuo conditore inclyta.„ Vixit autem *Phaëton Iacobi* et *Eſaui* temporibus 2102. annis ab orbe condito. Poſt quem *Vandalus* apud Tuiſcones 160. annis regnaſſe dicitur; Omnia haec ſunt antiquiſſima, ſitu et puluere obſita. Merito igitur dixi, ſententiam illam nobis ſequendam eſſe, quae nobiliſſimorum autorum nititur fundamento, videlicet *Catonis, Virgilii, Strabonis, Iuſtini, Plinii* et *Stremponii*, qui dicit, Venetias primo Phaëtontei, poſtea Troiani eiſdem mixti, coluerunt. Fieri autem potuit, vt poſt illam cladem Heneti duces et alii veluti ex communi incendio ſeſe eripientes in eas oras deuenerint, ſicuti noſtri hiſtorici Alanum ſecundum ex Aſia, ſtipatum cohortibus, veniſſe in eas oras tradunt. Aperte autem *Ptolemaeus lib.* 3. *Coſmog.* ſic dicit: „Tenent Sarmatiam ma- „ximae gentes Venedae, per totum „Venedicum ſinum.„ Huius rei nobis fidem facit etiamnum appellatio Sinus Venedici maris ad Pruſſiam et vlterius.

„Adriaticum ostendunt, Henetos in Illyricum et vicinas „regiones progressos esse, siue ab Antenore eo ducti sunt „ex Asia; siue cum iam in Europa essent, paulatim aliis „occasionibus ad meridiem processerunt, in terras mitio-„res, minus frigidas, et frugum vinique feraces. Inde effusi sunt in has regiones inter *Vistulam* et *Albim*.„ Idem Philippus alibi copiosius haec repetit; „Vandalos, „Wenden, Venedos, Fennos, Slauos, vnius gentis esse, „quae orta sit ab Henetis, qui siue ex Illyrico, siue ex „ipsa Asia egressi compleuerunt vicina loca ad septentrio-„nem vbi nunc sunt Poloni.„ Quare adhuc aliquid *huma-nitatis* Asiaticae referunt (sic iam *Vlricus Huttenius* iudica-bat; non sine ratione) de quo in parte secunda plura exponemus: „et plurimum differunt figura corporum, „ingeniis, moribus, victu a vicinis Scythis, cum quibus „perpetua bella gerunt. Nequaquam igitur illis adsen-„tior, qui affirmant, seu Polonos, seu Vandalos, seu „Venedos, seu Slauos, Scythicam gentem esse; sed ab „Henetis propagati, regnarunt et in Illyrico et in Sarmatia, „et respublicas magno consilio constituerunt &c.„

Melanchthonem sequitur *Caspar Peucer,* homo et ipse harum rerum peritus, *Georgius* etiam *Sabinus,* qui satis luculenter loquitur in epist. ad Stanislaum Driaduski, episcopum Praemisliensem: „Non dubium est, Polonos „Henetam gentem esse, quae et in Asia vicina fuit genti „omnium laudatissimae et cultissimae Ionicae, et postea „Duce Antenore in Europam ducta, propinquas Graeciae „sedes in Illyrico occupauit, et tenet etiamnum, annos „ad hoc tempus post bellum Troianum, circiter bis mille „sexcentos; inde progressi septentrionis oram ad Vistulam „comple-

„compleuerunt. Haec de Henetis obſcura ſequor indicia, „gentium origines praecipue ex appellationibus et lingua „iudicando. Quos vero hodie dicunt Venetos, ſeu „Venedos: hos eſſe Henetos, oſtendunt appellatio et „locus. Nam Henetos in Illyrico, vbi manet appellatio „Venedorum, conſediſſe, confirmat Herodotus. Deinde „linguam Polonorum congruere cum Illyrica, mani„feſtum eſt, et multarum vrbium appellationes cogna„tionem cum Polonis oſtendunt.„ Iſta et plura teſtimonia iam *Eraſmus Glictznerus* collegit; addenduſque hic noſter *Paſtorius* Gedanenſis in epiſt. ad eundem Dziaduſki, Epiſcopum Praemislienſem, magnae doctrinae Senatorem, et inde fere eadem ſententia valuit, ad noſtram vſque aetatem, quia antiquiorum Scriptorum teſtimoniis ſatis locupletibus confirmatur. *Bernardus Vapouius* in Chronico, quod iam raritate etiam commendatur, ſimiliter praefert hanc ſententiam, *Venetos* veniſſe ex Paphlagonia, qui iam olim Slauico nomine *Veniec* dixerint antiquam Venetiam vrbem, *ſertum*, quaſi ob rotunditatem montis, de quo paullo poſt in fine ſcripturi ſumus: Eiusdem ſententiae eſt etiam *Matthias Stryikowſki*, auctor rariſſimus, *Martinus Bielſki; Tillmannus Stella*, in Genealogia Chriſti; qui his verbis vtitur: „progreſſi autem Heneti a littore „maris Euxini . . . . Habet autem iſta fere ex Melanch„thone.„ Porro addimus huius ſententiae patronum M. Anton. Cocium *Sabellicum*, a) non ſolum in Panegyrico primo Venetarum, ſed etiam de vetuſtate Aquileiae, vbi Liuii ſententiam confirmat, Venetos fuiſſe ſinus Adriatici accolas, antequam gens gallica vlla in Italiam ttanſierit. iſtae ſcriptiones inter opera *Sabellici*, b) et in corpuſculo

 illo,

a) L. II. et IV.
b) Tom. II. *edit. Francofurt.* 1600. *fol.*

illo, Italiae illustratae &c. Non ignoramus *Pelluterium*, et *Gottfrid. Wernsdorfium* fabularum in numerum referre istam narrationem de Paphlagonibus Enetis; et dicere sola affinitate nominum Henetorum et Venetorum, eam niti; sed in illa rei litterariae libertate fas est, et nos tenere sententiam longe diuersam; vti iam doctissimus *Lomonossouius* iudicauit, aduersus tam antiqua scriptorum testimonia talem obiectionem nihil valere. Nempe, ex Asia nulli coloni alias in partes discesserunt? *Eneti* circa Macedoniam adhuc Mithridatis tempore, gentis antiquissimae reliquias continuarunt; lingua conuenit, et vitae omnis modus, cuius rei monumenta, satis diserte hucusque loquuntur.

Sed inciepiemus a celebri Lacu, Bilazora dicto, aliis Bilozoro, de quo *Appianus* a) et *Liuius*, qui Balazoram eum appellant ex Venedo vel Slauico sermone eum interpretantur albam vel candidam auroram. Sed licet haec explicatio sit verissima, tamen, vt nominis, quod Lacui est, hanc legitimam credam significationem, induci non possum, de Lacu enim, qui satis magnus est, non de Aurora quaestio. Bilazero itaque significat *Lacum album*, iique, qui Bilozero scribunt, maiori id iure facere videntur. Cum enim Lacus adsit, Azera vero in plurali numero et Ozero in singulari eodem modo lacum designet, nomen non haberet non perfectam in se significationem.

Id vero maiore admiratione afficiet Lectorem, quod tredicim solummodo milliaribus a Bilazera, antiquissima vrbs Vindenis, Vendo *Straboni*, seu Vendum *Cellario* b) dicta, inueniatur in Albaniae finibus; quam quis nescit esse partem

a) L. IV. d. 5.

b) T. I. p. 487.

partem antiquae Macedoniae? Initio equidem dixi, Syginnos Illyricum et Macedoniam attigiſſe. En adeo ſecundum *Ortelium* et *Cellarium* vera veſtigia Henetorum, ex quibus apparet, quantum ſeſe extenderint, in ſecunda vrbe, Vindia vel Vinda (vt alii volunt,) in Paphlagonia, et Vinda in Macedonia, Illyrico.

Vndecim adhuc a Vindeni milliaribus inuenio locum dictum *Baba*, aliumque Lacum *Plawa*, latine *nauigabilem Lacum*, vel nauigabile flumen, ex quo effluit fluuius *Buiana*, id eſt *celer fluuius*; tandem in eadem Macedonia ſunt montes *Koſtenie*, ſimiles quaſi duritie et figura oſſibus. Plura quidem nomina vrbium ſcimus, ſed conſulto praetermittimus, quia a nouis colonis conditae dici poſſent; (cum contra pateat, montes fluuioſque ſemper ſua nomina retinere) ſic et Vindenim vrbem antiquioribus probe notam, ſolam adnotauimus ob linguae Heneticae nomenclaturam.

Superius *Appiani* de bello Illyrico mentionem fecimus, qui alia nobis etiam praebet linguae Heneticae veſtigia. *Salona* antiquo nomine *Slanum* appellat, aliam vrbem memorat *Terpum*, quae ambae eiusdem ſaltem antiquitatis ſunt, quam Vindenis, et quarum nomina ex nulla, niſi Venedorum lingua, poſſunt deriuari.

Licet non ad manum eſſent tot ſcriptores graeci et latini, nonne id, quod propoſitum eſt, ex ipſa illa re, tanquam ex hiſtoria, diuinare poſſemus. *Wernſdorfius* praefert aliorum ſententiam, de qua Strabo mentionem fecit, nempe ex Gallia veniſſe Venetos ad mare Adriaticum; Lomonoſſouius non minori iure contra putat, ex Italia quoſdam *Venetos* progreſſos fuiſſe in partes Galliae. Quae certe ſententia, niſi quis amore opinionis

ſiniſtro

ſiniſtro ducatur, probabilitate vincit, partim quia antiquiores hiſtorici, ſi qui erant, profecto obſtitiſſent latinorum diuerſis narrationibus; partim, quia ſcimus migrationes gentium maxime ferri ſolitas verſus occidentem ſolem, non contra. Teſtatur autem idem Lomonoſſouius, Annaliſtam Nouogrodenſem, et patrios alios ſcriptores, conſentire in hac ſententia, eam gentem, quae Slauica tandem dici ſolebat, ex *Media* progreſſam, per longum maris nigri tractum, et in Illyricum ſe extendiſſe, atque inde in omnes ſeptentrionales regiones. Sed de iſta gentis propagatione medio aeuo facta, hoc loco nondum agimus. De antiquiori traditione, quatenus hiſtoriae deficienti ſucceſſit, videtur et *Neſtor* ille Abbas Ordinis Magni Baſilii Kiouiae, idem ſenſiſſe, Epocham quaſi vltimam; ab iſto tempore *Slauos*, (gentes proprias, quae ſolebant ſeculo ſexto, a graecis Chriſtianis ſcriptoribus, *Slabi Slabeni*, corrupte, vt ſolet, dici;) conſediſſe ad *Danubium*. Nos vero quidni audiamus Ptolemaeum, qui *Venedas* in Sarmatia, deſignatis et deſcriptis adeo limitibus, ponit? Poſt Ptolemaeum ſilentium obtinet inter ſcriptores per aliquot ſecula; ſed *Antas* iam et *Sklabenos, Waros*, Abaros (Vwarchonitas, nominat Theophylactus) nobis deſcribunt Byzantini plures ſcriptores. Neſcimus, an verum ſit quod D. Neſtor Paulum Dalmatis, Apoſtolum Andream Roxolanis doctrinam Chriſti tradidiſſe refert; perſpicimus autem antiquiſſimae traditionis, quae de his gentibus, ibi ſendentibus, narrabat, vim et firmitatem. Confer *Aſſemannum*, olim amicum meum, qui vel ipſe ſcriptor, non, niſi e graecis Chriſtianis ſcriptoribus aliquid addiſcere potuit; ex his igitur nos ſatis certa repetere poſſemus; modo ortographiae illa lubrica indoles nobis minus obſtaret.

obſtaret. *Volga*, Volach, Bulga, *Woloch*, (rex etiam hoc nomine deſignatur in Chronico Maldae; alii Boloch, et aliter pingunt nomen barbarum, graecisque difficile) facillime nominis *Lech*, affinitatem prae ſe ferunt, et Slauicam originem indicant. Non audemus inde ab ultimis temporibus deſignare nomina ducum, qui ex Media coloniam duxerunt in prouincias occidenti propiores; ſed antiquiſſima eſt hiſtoriae vox, Enetos ſe Medorum dixiſſe coloniam. *Enetos* et *Eintos* Appianus adhuc ſciuit; Ptolemaeus *Venedas* per Sarmatiam diſpoſuit; ſcimus etiam ex clariſſimis teſtimoniis, *Antas* vel *Hantas* vel *Hanatas* ab *Henetis* deriuari, *Abarosque* vſque ad Francorum limites, per Pannoniam pertinuiſſe; *Slauos Vinidos* reperimus apud Scriptores Francos, qui profecto Ptolemaeum non legerant; hi *Slaui* excuſſo iugo Hunnorum Abarorumque, porro inde a ſeculo ſexto tenuerunt longum tractum, quem Marauis, Bohemis, et poſtquam nouum nomen innotuit, *Polonis*, tribuunt hiſtorici. Iam, cum deſint Venedi poſt Ptolemaeum in ſcriptoribus; quocunque nomine deſcribantur, certum eſt, gentem tam magnam, nec retroceſſiſſe, nec funditus deletam fuiſſe.

Aliis igitur nominibus, aliis pronunciationibus in variis dialectis, quia nouas regiones occupauit, deſcribitur; ipſius gentis vero omnes, numero iam multae familiae, priſtinam originem non exuerunt.

Statutum nobis Tabulae hiſtoricae, nullas dubitationes tacere; ideo haec B. L. fateri cenſuimus. *Syncellus*, qui graecis multis ſcriptoribus diligenter vſus eſt, excidium

Troiae ponit a. mundi 4330, Aeneas igitur paulo poſt cum Troianis aliis in Italiam venit.

Homerus, cuius tempus ſatis incertum eſt, ab aliis annis poſt Trojae excidium 100, ab aliis 200, 300, 400, deſignatur. De *Trojanorum* in Italiam aduentu, *Cephalionis*, *Demagorae*, *Agathymi* et multorum aliorum teſtimonia, legit Syncellus, etiam *Ariſtotelem*, *Calliam* et alios conueniſſe ſcribit, de Romulo et Romae initiis, licet de matre fuerit diſſenſus. Poſteriores igitur illi *latini* hiſtorici, *Cato*, *Liuius*, *Plinius*, &c. ſecuti ſunt graecos ſcriptores. *Amazones*, quae iam antea Priamo bellum intulerant, cum *Cimmeriis* in Aſiam irrumpebant, circa an. mundi 4360.

Herodotus, qui primus *Enetorum* ad Adriaticum ſinum meminit, floruit poſt annum mundi 3400; is ipſe Homeri tempus ante ſe deſignat annis 400. Praeter eum graeci multi hiſtorici, *Ephorus*, *Hellanicus*, *Eudoxus*, *Theopompus*; &c. idem narrarunt, e quibus alii ſua deſumſerunt.

Polybius, Ὀυενέτους, *Venetos*, ſcribit.

Strabo, qui negabat *Enetos* ſupereſſe in illa priſtina regione, auctor eſt, multorum eſſe ſententiam, *Henetos* in Italiam veniſſe ex Paphlagonia.

Appianus, *Enetos*, et *Eintos*, (Vintos) ſub Mithridate adhuc commemorat, in confiniis Macedoniae fuiſſe.

Ptolemaeus, iam luculentiſſime *Venedicos* montes, *Venedos*, in Sarmatia; *Vindiam* vero etiam in *Paphlagonia* oſtendit; cui Itinerarium Antonini conſentit.

Itaque

Itaque dubitare non licet, *Venedas*, *Vindas*, *Venetos*, fuiſſe ſeculo poſt Chriſtum natum primo et ſecundo his in prouinciis. In *Sarmatia* porro longius proceſſiſſe, auctis populi viribus, quis dubitet? *Venedi* pertinent ad *maiores* gentes Sarmatiae, ex deſcriptione Ptolemaei. Tam luculenta tamque graui auctoritate propoſita, ſi quis tamen aliam ſententiam ſequi malit, vt eam totidem, nec minus firmis argumentes ſuſtentare velit, poſtulamus.

§. VII.

DE ANTIS, SLAVIS, SLABENIS, INDE A SEC. VI.

Si Arabicam translationem audimus, iam ibi a) loco *Askenas*, Slaborum vel *Sklaborum* nomen occurrit; ſic enim arabice ſcripſit, *Sklabi*, loco *Ascenas*; ſed in vniuerſa hiſtoria, qua quidem eius nobis theſauri patent, ſeculo demum *Iuſtiniani* ſeu poſt Chriſtum natum ſexto, nomen Sclabenorum apud *Procopium* b) inuenimus. *Antas* ille et *Sclauenos*, jungit; ſed addit, inde a *vetuſto tempore* hos populos non vni ſubeſſe, ſed in Democratia viuere, quae forma *antiquitus* vtrique genti legibus quaſi conſtituta ſit; eos habitare in tuguriis vilibus, multum ſeiunctos, ſaepe vero mutare habitationis locum; ſed et nomen, ἀνέκαθεν, ſuperioribus temporibus, fuiſſe vtrique genti commune; *Sporos* enim olim nominatos fuiſſe. Haec et plura hic Procopius ſcribit; ſed ſatis negligenter, de qua re confer excellentiſſimum Opus Celeberrimi Gallici ſcri-

a) 1 Moſ. X, 3. b) De bell. Goth. l. 3. c. 14.

ptoris *Le Beau.* Quodnam *tempus* igitur designat illud *ex antiquo, atque olim?* Quinam scriptores *Sporos* (sparsim habitantes) nominarunt gentem aliquam, quae postea novis nominibus, *Antarum* et *Sclabenorum*, fuit distincta? Ad *Istrum* fluuium iam habitasse longo tractu scimus; sed sedes dicit saepe *mutasse;* itaque incertum est, vtrum antiquitus hic haeserint; *antiquum vero tempus* haud dubie aliquot secula occupabit. De eodem tempore, anno post Christum 551, loquitur Theophanes, sed nominat *Sclabos* et *Sclabinos;* appellat et Constantinus Porphyrogeneta *Sclabos*, et reliquos Sclabiricos; nam plures populos nomina varia distingunt: idem gentes *Sclabinicas*, numero plurali. Etsi vero iam sub *Iustiniano* Sclaborum copiae Romanis visae fuerunt, *Menander* a) tamen de *Abaris* primum refert, qui ad Iustinianum legatos miserunt, foedus polliciti; in quo loco Henricus Valesius recte quater restituit nomen *Antarum*, quod a librariis corruptum fuerat; „cum vero Duces *Antarum*.„ Hostium incursionibus vexati *Antae*, legationem miserunt ad Abaros, *Mezamerum*, (rectius Mesamirum) *Idaritzi* filium, *Kelagasti* fratrem - - „ille vir inter *Antas* magna potestate valet — atque exinde multo magis terram *Antarum* depopulati sunt. Deinde, sub Iustino refert gentes Turcicas foedere Romanis iunctas fuisse; *Abaros* pacem non seruasse; in libro vero primo extremo pergit:„ At *Slauorum* gens *ignota*, improbior, et versutior, Romanos est adgressa et solitudinem per eorum terras effecit vsque ad longos muros: Sed in graeco tale nihil exstat, quod *ignotam* fuisse gentem Slabenorum significet.

a) Excerpt. de legation. de Abaris edit. Paris. p. 100. Veneta p. 67. 68.

ſignificet. Hic autem mirum eſt, ipſa graeca verba, quae Menandri ſunt, reperiri etiam in *Theophylacti* hiſtor. a) vt corrupta Menandri jam tum oratio fuiſſe, videatur. Sic autem intelligenda eſt: Abaros, etſi cum Chagano, (per *Targitium*, Abarum) videbantur pacem Romanis promiſiſſe, non palam quidem, ſed doloſius et fraudulenter bellum intuliſſe; Nempe, (explicat diligentius) *Slabenorum* gens, per Abarorum conſilium in Romanos ſummiſſa fuit, quae vſque ad longum murum penetrauit. Paulo poſt Slabenorum praefectus *Anadragaſtus* (Hanagaſt) a Comentiolo vincitur.

Iam videbimus, an ex *Conſtantino Porphyrog. de adminiſtrando imperio*, b) aliquid clarius diſcere liceat. Narraverat de *Diocletiano*, imperatore, qui in Dalmatiam duxit Romanas colonias; iam pergit: „illorum vero Romano„rum potentia pertingebat *vſque ad Danubium.* Cum vel„lent aliquando reſcire, *quinam habitarent* trans illum flu„vium: trangreſſi eum, inuenerunt *gentes Slabenicas* (in „plurali,) ſine armis, quae etiam *Abari* nominabantur. „Nec Romani, nec Barbari putauerant, incolas eſſe vltra „fluuium. Romani igitur praedam et captiuos inde ab„duxere, tandem *Slabi*, trans Danubium, qui et *Abari*, „calamitatum pertaeſi, fraudem in Romanos pararunt, „vrbemque Salonam occuparunt; inde ſedes ibi poſue„runt et praedas egerunt.„ Conſtantinus ſaepius refert, Slabos etiam *Abaros* dici, et *plures* eſſe *gentes* Slabenas; Sub Heraclio gentes illas etiam Dalmaticas, et finitimas,

 ex-

a) Lib. I. C. 6. fine et init. c. 7. b) Par. II. p. 29.

excuſſo iugo Romanorum, vixiſſe legibus propriis. Ex his teſtimoniis patet, nomen *Araborum* et *Slaborum* inde a ſelulo VI. multas alias gentes comprehendiſſe; apud ytrasque coniunctionem armorum et conſiliorum aduerſus Romanum imperium valuiſſe; vixiſſe et has gentes et Hunnos in confiniis Danubii; itaque quaſi *nouos incolas* habendos eſſe, qui inde a ſeculo VI. certo tenuerint has regiones. Lingua fuit eadem tot gentibus, *Andragaſt, Slaui*, et *Kelagaſt, Abari*, nomina, eiusdem ſunt linguae. Plura iam exſpectare a *Byzantinis* ſcriptoribus non licet, qui ignorabant pleraque omnia illa, quae pertinent ad occidenti propiores prouincias et rerum conuerſiones. Eodem tempore ſec. VI. medio. ſcripſit *Iornandes*, qui *Slavorum* et *Antarum* ſimiliter mentionem fecit; ſed ita, vt intelligamus, ſedes eos jam mutaſſe. Nempe *Einti, Eintae*, ex Appiano, diuiſa gens *Enetica*, porro locum et nomen ſimul mutauit; Antae ſeu Hantae iam dicti; ſicut alii, eiusdem antiquioris gentis, *Vinidi, Wendi*, in illis partibus ad Albim. Sic *Serbii, Sorabi* &c. Vt *Gythii* olim in Sarmatia vixerunt, gens e minoribus illis, quibus *Venedicae* multum praſtabant, ſedes porro mutarunt, et auctis viribus iam Gothorum nomine, longe aliis in regionibus inclaruerunt. Repetemus breuiter *Slauicarum* rerum potiora momenta; adjuti *Aſſemanni* diligentia, in Calendariis eccleſ. vniuerſae; „*Abari* et *Slabeni* Byzantinis a) fere iidem; „ſaepe et Hunni Abaris juncti. Seculo autem VI. „ poſt Chlotarii mortem, (is anno 561. mortuus eſt;) Auari ſeu Auares Hunni, Francorum ditionem eam inuadebant, quae *Thuringia Paulo Diacono* b) dicitur; (nempe Iſtro trajecto, e Pannonia) e qua Longobardi exierant. Interceſſit

a) Tom. II.

b) Lib. II. C. 10.

ceſſit tandem pax, cum *Sigebertus* Rex fami ſuccurreret, qua Abares premebantur, ſecundum *Menandrum* legation. a) Rex *Sigebertus* an. 575. mortuus eſt; ergo tempus ſatis commode deſignare poſſumus. Deinde ab *Alboine* rege Longobardorum legationem accepit Abarorum Chaganus, vt belli aduerſus *Gepidas* ſocietatem iniret; b) Porro ſub *Childeberto* rege, Boioarii in *Slauos* irrunt, ſed Chaganus opem tulit *Slauis*, (veniens ex Pannonia) v. *Paulum Diaconum.* c) Poſt regis *Childeberti* mortem, an. 596. Hunni, Abares (et Slaui Hunnis tum ſubiecti,) Thuringiam inuadunt, tandem donis et pecunia Reginae *Brunchildis* victi de reditu cogitant. Solus *Aimonius* d) ea narrat: an. 623. Chlotarii 40. Samo quidam, Francus, multos negotiatorum mercandi cauſſa in *Slauorum patriam*, qui etiam *Winidi* dicuntur, ſecum deduxit. *Winidi*, (ſic ſemper nominat,) ferocem dominatum Hunnorum non vltra paſſuri, eius adiumento, Hunnos vicerunt; Samo Rex iam Winidorum factus &c. Plura de his Winidis et rege Samo idem ſcriptor narrat, et *Fredegarius*, e) vt dubitari non poſſit, hos Slauos pertinuiſſe a finibus Francici regni, hoc eſt, a Pacunariis, ad Moraviam, Sileſiam, Bohemiam, Misniam &c. ibique tum temporis conſediſſe. Atque ſic Francis a ſeptentrione in Germania contermini fuerunt, quod jam *Tarlatus* f) recte deſignauit; licet nondum ſatis certum et clarum ſit, quanto tempore ante, ducibus *Czecho* et *Lecho* huc aduenerint.

Nobis

a) Lib. I. p. 74. edit. *Veneta.* p. 110. *Pariſ.*
b) *Menander* ibid.
c) Lib. IV. C. 2.
d) Lib. IV. C. 9.
e) Cap. 23. C. 68.
f) Tom. I. Illyrici Sacri. p. 118. ſeq.

Nobis ſufficit, *Slauos* et *Winidos* ſeculo ſexto iam ſatis notos fuiſſe *Procopio*, *Iornandi;* ſcriptoribusque Francicis.

Hinc patet, *locorum interuallo non paruo* ſeiunctos vixiſſe *Slauos Winidos* ab Hunnis, ſeu Auaris; hi enim *veniſſe* per hiemen *ad eos* &c. dicuntur. Huc etiam pertinet teſtimonium *Theophanis* (anno Mauricii 9. Chriſti 590.) qui narrat tres Slauenos ad imperatorem adductos, confeſſos eſſe; *Chaganum* ipſorum gentem ſollicitaſſe, aduerſus Dalmatiam; habitare autem gentem ſuam ad *Oceani limites*. Ergo iam fine ſeculi ſexti, ſcimus Slabenos habitaſſe hac in parte Europae uſque ad Oceanum, verſus ſeptem trionem, ad fluuios, Oderam, Albim. Sic in vita S. Columbani narratur, eum voluiſſe fines *Veneticorum*, qui et Slaui dicuntur, adire. Id pertinet fere ad annum Chriſti 610. cum a Theodorico et Brunchilde eiiceretur e Burgundia. Hic aperte comemorantur *Venetici;* iidem vero *Slaui*, quaſi κατ' ἐξοχὴν dicuntur, nempe Franci alios Slauos non nouerant; protendebantur autem longo tractu vſque ad Danos. Itaque plures *Slauinias* Pipini fratribus paruiſſe, ſcribit Conſtantinus Porphyrog. nempe inde a Carantanis &c. Carolum M. Slauos aliquos Francis ſubieciſſe, narrat Helmoldus, et ſedem ipſis certam deſignaſſe, licet res non fuerit perfecta.

Ceterum ipſi ſtatuimus, hos *Slauos*, etſi iam ſeculo ſexto hic haeſerint, non fuiſſe indigenas, aut Aborigines, ſed deſcendere ex iſtis *Enetis*, *Eintis*, Venetis, Venedis, de quibus *Appianus* et *Ptolemaeus* tam luculenter perhibent: vt dubitare non liceat. *Cromerus* noſter, *Saxo-Grammaticus* aliique multi ſupra citati ſuſtentarunt eandem

dem ſententiam. Pars gentis ſeruauit antiqui nominis veſtigia non obſcura; *Antae* tam apud graecos Byzantinos, quam apud Iornandem, tempore eodem, occurrunt inter gentes *Slauicas*. Lingua fuit eadem, ſatis diuerſa a Graeca et Romana haud dubie ſimilis antiquae Paphlagonicae. Operae pretium ſane eſſet, conquirere quicquid ſupereſt, quod huc pertineat; nam ipſum nomen Paphlagonum videtur quodammodo indicare ſtrepitum linguae, ductum quippe a verbo παφλάζειν.

§. VIII.
DE LINGVAE SLAVICAE VETVSTIS MONVMENTIS.

Notauimus ſupra ex Inſignis Viri *Vapouii* a) opere rariſſimo, nomen Venetiae, ſeu Venetiarum, Slauice *Veniec* ſignificare *ſertum*; itaque ob rotunditatem montis, aut loci, aquis in gyrum circumfluentibus incluſi, antiqua Venetia eadem ratione dicta videtur, qua vrbs Aquilea. Addamus alia monumenta. Idem auctor dicit, *Paduae* nomen, Slauice *Padwa* eſſe, hoc eſt oſtium, vel ad oſtium Padi. Poteſt autem et *Padus* Slauice deſignare fluuium ex alto cadentem, ex Alpibus. Tribuitur etiam Pado epitheton Bezdonko, profundi, fundo quaſi carentis. A Padua ſex millibus paſſuum ſunt thermae, vocatae *Medohab*; in monte vero duo pagi, quorum vnus vocatur *Venda*, alter *Riua*, quod eſt praeruptum. Liceat adeo nomen Padi per M. concipere, quia ſolent litterae *m*, et *p*. ſaepe mutari; ita Padus indicium antiquae originis Medicae ſeruaret. Sic thermae *Medohab*, Venedis hodie *chab*, vel *hab*, ſunt

Lacuna

a) pag. 2.

Lacuna vel *Lama Festo* a) interprete; quid magis congruum thermis? Pro certo equidem non ſcio, cuius originis ſint binae Poleſinae, quae ſatis longe ſeſe extendunt. Scio tamen, apud nos tractum eſſe *Poleſie*, quod nomen ſignificat tractum ſubſyluanum; quiſnam adeo, dubitare poſſit, fuiſſe olim maritima ea loca ſyluis obſita? Alter etiam apud nos eſt tractus *Podlaſie*, quod nomen idem fere ſignificat, dialecto diuerſa. Deinde vero nomen *Gradus*, quid eſt aliud, niſi Slauicum *grad*, *grod*, quod caſtellum ſignificat? Commode in mentem nobis veniunt ea verba, quae Lutatius Scholiaſtes latinus (Confer Lexicon militare Caroli de Aquino) ſcripſit ad illa Statii . . . . *ſed bellicus agger* &c. Interpretatur, autem ſic:

Aceruus; *exuuiarum hoſtilium moles*. Exuuiis enim hoſtilibus exſtruebatur regibus mortuis pyra; quem ritum ſepulturae *hodie quoque barbari* ſeruare dicuntur, et *Strawam* dicunt *lingua ſua*. Attulit etiam hunc locum *Kirchmannus* de funeribus Romanis, b) qui eodem modo *Strauam* interpretatur. Sed vterque fallitur; *Straua*, aiunt illi, immo *Sdraua* eſt conuiuium funebre, ſeu manibus dicatae illataeque epulae, quod antiqui dixerunt ſilicernium. *Iornandes* de rebus Gothicis: „poſtquam talibus eſt lamentis defletus, *Strauam* ſuper tumulum eius, quam appellant ipſi, ingenti commeſſatione celebrant.„ Cangius in gloſſario quidem refert hanc explicationem, ſed non ſatis enucleat originem vocis. *Sdrauo*, *Zdrauo*, lingua Illyricorum eſt *Saluus*; hinc vocabulum Zdrauita, penultima correpta, apud ipſos eſt *ſalus*, eaque proprie, quae nunciari

a) Dictionarium Cnapii p. 258. b) L. III. c. 18.

nunciari ſolet inter bibendum, Latinis, propinatio; Italis, Brindiſi, quam vocem eſſe germanicae origins, ab aliis eſt notatum. Latius Zdrauizza dicitur de conuiuio, ſiue laetiore commeſſatione; &c. Nomen igitur hoc eſt Venedicae originis. *Menagium Saluinium* alioſque non memoro, qui in eundem errorem inciderunt; ob ſequens meum opus tantum obſeruo, quam facile et homines praeſtantiſſimi ingenii poſſint falli, ſi linguam non calluerint, nec tamen dubitent ſententiam ſuam exponere.

Strawa adeo, in Italico ſermone Strauizzo eſt id, quod cibatus *Varroni*: a) res cibaria *Plauto*; ea vero vox non minus in feſtiuis, quam lugubribus diebus vſurpatur. Mirum quidem eſt, vocem adeo communem diuerſis ſcriptoribus occaſionem dediſſe tantum ſcribendi; ſed magis adeo miror, omnes hanc vocem Gothicam dicere. Si hoc eſſet, Gothi neceſſario locuti eſſent Slauice, nam nullum inuenies linguae matricis, Slauonicae dialecti Lexicon, vbi non reperiatur vox Strawa, Strawiça. Neque eſt corrupta vox, vt ita dicam, per Gotho-Italos, quia idem eſt ſemper modus pronunciandi, licet *w*, per *v*, et *c*, per *zz*, Italis ſcribendo exprimatur. Sic et Italis celebris illa familia Pazzi ſcribitur, quae apud nos Pacci vel Paci.

Qui *Zdrawam* pronunciandum eſſe volunt, quaſi propinationem; grauius etiam errant. Quod per *ſt*, ſcriptum *Strawa* cibum, id per duas litteras *Zd*, propinationem ſignificat; nam *Zdraw* eſt propino. Littera vero *a* ſuper-

 flua

a) Dictionar. Cnapii p. 1073.

flua est; imo ridiculum foret ante epulas de propinatione loqui.

Plura *Slauica* recitat *Constantinus Porphyrog.* de administrando imperio, a) et de Russis Constantinopolin venientibus: „Ad locum primum fluminis praeruptum, „qui *Essupe* nominatur; quod Russorum et Slauorum „lingua valet, non dormire.„ b).

Vale Lector benigne, atque si patientiae Tuae fructum quendam percepisti, nobis faue.

a) Par. II. c. 9.

b) Non alienum videtur ab instituto nostro brevibus addere, quod supra poterat commemorari; 1) Henetorum Caput Aquileiam, fines in Carnio la fuisse, 2) Enetos *Kraynos*, ab eo quod in confiniis habitarent dictos, vt nos Albam Russiam eodem plane verbo *Vcraniam* dicimus; 3) Antiquissimos huius gentis populos intra Tanaim et Borysthenem habitantes, per Lithuaniam ad mare Balticum venisse, Venedos appellatos, a rege Polonouum Ziemouito clade affectos et per vim Germanorum adeo coecitos fuisse vt praeter *Pomorsk Myszensk* et *Zgorzelsk* nihil ipsis terrarum relinqueretur. 4) Victae gentis reliquias vt seruitium vitarent, versus fines *Poloniae* migrasse et ad pedes montium Morauiorum consedisse, quorum incolae ad hoc usque tempus Hanatae dicuntur.

De Henetis ad Adriam vide praeter supra laudatos Scymnum Chium in Liav. Descript. Orbis inter veteres Geographos graecos minores, edit. Oxon. 8vo et Althimeren eiusdem collectionis.

DE

VINDILIS ET VINIDIS

SEU

VANDALIS ET VENETIS

VEL

VENEDIS SEV VINDIS.

Pars Secunda.

CONSPECTUS OPERIS

§. *I.* De Vandalis, Iornandi Vandilis et Vindilis, qui et Vindi, Vendi ab auctoribus appellantur.

§. *II.* Vocabularium.

§. *III.* Dii Vandalorum.

§. *IV.* Vrbes.

§. *V.* Reges.

§. *VI.* De titulis Principum Vandaliae Regni.

§. *VII.* Etymologiae diuerſae nominis Vandalorum et Venedorum, atque Fluminum.

§. *VIII.* Ex Geographia.

§. *IX.* De auctoribus praecipuis.

§. *X.* Concluſio propoſiti.

AD LECTOREM
QVOD
SCIRE EIUS INTEREST.

Nunquam id egi, vt iudicis auctoritatem criticumque mihi ſumerem ſupercilium: cuius rei teſtes ſint viri docti, quorum arbitrio libellos meos relinquo. In his fortaſſe ſcriptis nimium lectioni et auctoritatibus laudatis tribuiſſe videbor, hic enim ſolemnis eſt fructus ex multitudine diuerſarum, quas ſcriptores fouent, opinionum percipiendus. Sed et in his, quae Intelligentibus ſententia placeat, vnice quaero, adeoque, cum ipſe meo arbitrio nihil arrogem, a culpa criticae Superbiae ero alienus. An barbara Vandalorum gens Teutonicae fuerit originis, mea quidem parum intereſt, cum Venedi vel ad decuplum earum terrarum poſſideant, neque etiam tantum mali Europae intulerint.

Sunt itaque auctores, qui Vandalos Gothos, ſunt, qui Vinilos, Vindilos, Germanoſque, dicant; nec deſunt, qui Sarmatas, Vinidos, Vinulos, Vindoſque fuiſſe tradant. Quarum opinionum non adeo facilis conciliatio eſt; nam Auctores Germanos habemus, qui probant, Vandalos nunquam in Scandinauia fuiſſe. *Tacitus* autem

primus, Vandalos cum Venedis coniungit. *Ptolemaeu* ſolo nomine Vendorum Vandalos deſignat, ſiquidem nullibi Vandalos commemoret. *Ptolomaeus* etiam, itemque *Euſebius, Chronicon Hieronymi, Zoſimus, Anonymus Valeſii* Sarmatas illos vbique vocant, et Viſimir, ſeu Wiſumar Regem illorum Sarmatarum nominant.

Inſuper quaero, vnde iſta ſermonis inter vtramque gentem ſimilitudo venerit, quae attentionem noſtram omnino mereri videtur, nec id ago, vt hiſtoriam antiquorum temporum obſcuriorem magiſque dubiam reddam, ſed vt, linguae vernaculae magis gnarus, quam peregrini ſcriptores, in veſtigia ſignificationum propriarum Venedicis vocibus diligentius inquiram. Et cum exteri auctores aegre ferant, Polonos ſcriptores eadem ratione vti: quaero, quomodo probabile ſit, nos ſemper vocum linguaeque conuenientia decipi et deceptos eſſe. Illa enim quaeſtio ex hac hiſtoriae parte, nondum ſatis fuit agitata. Si quis in poſterum melius quid de Vandalorum origine protulerit, ſaltem negare non poterit, factos eos eſſe Vandalo-Venetos; de qua re iam explicabitur. In quo negotio me ipſum docere magis, quam alios contendo. Interea tamen aliae res praeſertim ex Geographia Sarmatiae, quae hodie eſt Regnum Poloniae, reperientur, quae allicere Lectorem, et morari poterunt. Imo forſan etiam quis venerit, me ipſo in hoc genere doctior, qui maiorem ex Geographicis obſeruationibus et comparatione linguarum fructum perceperit, quam egomet ipſe. Vale Lector, nec rei difficultate patere te a patienta abſtererri.

§. 1.

§. I.

DE VANDALIS *IORNANDI*, VANDILIS ET VINDILIS, QUI ET VENDI AB AUCTORIBUS APPELLANTUR.

Antiqua iam lis inter auctores eſt, eaque non omni plane attentione indigna, an Vandali, qui etiam Vandili et Vendili, Graece vero a *Dexippo* et aliis Βάνδηλοι vocantur (vnde patet ſyllabam mediam produci) ſint cum Venedis vna eademque gens? Sunt, qui Vandalos eſſe Germanos aut populum certe Sarmatiae Germanicae dicant; Venedos vero eſſe origine Sarmatas, ex iis, quos vel nunc Slauos appellamus, oriundos.

Vt nemini aliud, quam eius fert ſententia, imperare volo, ſed liberum cuique permitto iudicium: ita et nobis liceat, noſtro modulo de his rebus libere ſentire et quae volumus dicere. Noſtras obſeruationes ſine vllo partium ſtudio ſimpliciter exponemus, et noua quaedam, certe a nullo hactenus auctore pertractata, addemus, eaque explicabimus, in quibus nonnulli auctores adhuc anxie laboravere. In vniuerſum 1) nihil nos affirmabimus niſi quod rationibus et plurimorum auctorum teſtimoniis nitatur. 2) Diſcriminis linguarum rationem diligentem habebimus. 3) Attendemus etiam ad reliquias populi, quae in natali ſolo manſerunt, vel prouecta nimis, vel nimis tenera, aetate aut obſtantibus aliis rebus impeditae, quominus gentem emigrantem ſequerentur, quae recto ſtatim itinere in Pannoniam penetrauit.

Ante omnes vero auctores Tacitus meretur vt, primum eius habeamus rationem; hic enim quaſi agmen ducit eorum, qui Venedos eandem cum Vandalis nationem fuiſſe, ſtatuunt; quod tamen, cum ab aliis negetur,

 duabus

duabus Columnis et affirmantium et negantium nomina conſignabo, vt appareat nihil certi conſtare poſſe in re, de qua auctores doctiſſimi et celeberrimi tam diuerſas fouerint ſententias, quas data occaſione penſitabimus, et quantum fieri poteſt, conciliare conabimur.

Affirmant.

Tacitus in fine Libri de morib. Germ. Venedos appellat eandem gentem, quam ab initio Vandalos nominauerat.

Plinius Vindelorum et Venedorum mentionem facit, et his ſitum ad Viſtulam et ſinum Codanum aſſignat, de illorum autem ſitu cum taceat, nihil etiam certi erui poteſt, an diuerſas gentes crediderit; quoniam in multis editionibus loco *Vindelorum*, *Vindelicorum* legitur.

Ptolemaeus Vandalos non nominat, ſed Venedos L. III. c. V. eodem loco, quo *Tacitus*, ad ſinum Codanum ponit, et per hoc oſtendit, eandem gentem fuiſſe, cum eaſdem ſedes iis aſſignet.

Euſebius in vita Conſtantini L. I. c. VI.

Laonicus Chalcondylas Rerum Turcicarum L. I.

Negant.

Tacitum non ſibi conſtare ex eo quidam iudicant, quod Vandalos diſerte inter Germanicos populos numeret.

Plinius L. 4. c. 14. ad quinque principes Germaniae populos Vandalos refert, ſed non in ea regione, in qua Vandali antiquitus habitauerunt, eos collocat.

Dio Caſſius L. 55. initio: qui Albim ex Vandalicis montibus perfluere dicit.

Procopius L. I. de bello Vandalico, Vandalos Gothicam appellat gentem eodemque habitu ac ſermone vſam.

Nicephorus Calliſtus Gotthos Gepidas et Vandalos communi vitae inſtituto communique lingua

Affirmant.

Iornandes consentire videtur, cum dicit Vinidarum gentem populosam ab ortu Vistulae fluminis in Aquilonem longe esse diffusam; easdem igitur sedes iis tribuit, quas memorant Vandalos occupasse.

Adam Bohoritsch Arct. Horula, in praefatione ait; „quotquot hactenus gentium „origines, et mores rimati „sunt, omnes in eo consenti„unt: Henetos, Vinidos, „Venedos, Windos, Wanda„los eandem gentem esse.„

Helmoldus Chron. Slauor. L. I. c. II.

Crantzius praef. Wandaliae et L. I. c. 4. qui etiam Slauico sermone Vandalos, ait, locutos.

Hieronymus Heninges anno 1598. p. 286. 7. 8.

Lazius de migrat gent. L. II.

Adam Bremensis Slauos et Vandalos pro eadem gente habet. L. II. c. 10.

Turocius

Negant.

gua vixisse L. 14. c. 56. asserit.

Paulus Diaconus Lib. I. c. I. Vandalos ex Germania exiisse scribit, quorum agmen sequuntur

Blondus Dec. Hist. L. 1. et 8.

Cromerus L. I. c. 5.

Reineccius in Prooem. ad Chron. Helm.

Peucerus, in Chronic. Carionis L. 4.

Chytraeus Saxon. Tom. IV. L. 5.

Crusius Annal. Suevic. P. I. L. 1.

Dresserus Isagog. hist. p. 5.

Zeiler it. Germ. c. I. n. 10 et 14.

Heluicus in Chronol. p. 6.

Goldast de R. Bohemiae L. I. c. 2 et 9. allegato *Beato Rhenano*, Lib. 2. rer. Germanicar.

Munsterus Cosmogr. L. 3. c. 4.

Irenicus L. I. Exeg. c. 33.

Affir-

Affirmant.

Bonfinius Dec. I. Lib. I. et II.

Sabellicus de vetust. Aquileiae L. IV. Tom. IV opp. fol. 231.

Saguinus in descript. Polon. c. 12.

Melanchthon in praef. Chron. Carionis.

Annius Viterb. Comm. in Berosum. L. 51.

Franc de Rosieres in Stemm. Lotharing Tom. IV. c. 68.

Decius Lib. I. de vetust. Polon.

Freddus in annot. ad Wittekindi L. I.

Ioh. Magnus hist. Gothor. L. 6. c. 22.

Althammer in Tacit. German.

Thuanus L. 56.

Glareanus in Caesar. L. 3.

Schikfus Chron. Siles. L. I. c. 3.

Cellarius contra Cluuerium.

Chytraeus in prima opinione sua.

Vlricus Huttenius.

Immanuel Weberus.

Negant.

Spangenberg, Chron. Sax. c. 14.

Beuther in Tacit. c. 11. p. 1.

Zach. Theobald. in Genealog. reg. Bohemiae.

P. Albinus, Chron. Misn.

Welserus Rer. Boic. L. 4.

Meibomius in Notis ad Leuoldi Chronic. n. 8.

Neugebauer rerum Polon. L. I.

Werdenhagen de reb. Hanseat. p. 3. c. 9.

Cluuerius Germ. antiqua. L. 3. c. 46. sed non probauit linguam calluisse Germanicam.

Ioh. Micraelius Chron. Pomeran L. I, et in praef. Lib. 2. et in ipso Libro secundo.

Ex

Ex his igitur, quae antea proposuimus, et mox dicturi sumus, judicare debemus; non vero ex numero Auctorum, qui in vtramque partem scripserunt, de caussa, nondum satis bene illustrata; nec tam, per Scriptorum multitudinem, quam per eorum indolem, grauitatem auctoritatemque illustranda. Caeterum ipsa materia facile occasionem mihi praebebit reuertendi ad supra laudatos auctores; jam vero ante omnia tollenda est sententia eorum, qui inscitia linguae Slauicae Vandalos putant fuisse Germanos. Qua in re sententiae meae probabilitatem conciliat *Adamus Bremensis* et *Albertus Kranz,* a) vterque natione Vindelus, vel Vandilus (vt more *Iornandis* loquamur, *Procopio* paulo antiquioris) et *Helmoldus,* scriptor Vinulus, seu Vinidus (vt morem ejusdem *Iornandis* loquendo sequar) seu Slauus, qui omnes expressis verbis affirmant, vnam eandemque esse Venedos, Vandalosque nationem. Atque ingenue ipse fateor, me ab omni plane dubitatione omninò esse alienum. Nam peregrini facile errare poterant: Auctori autem demestico et inquilino, qui historiam Prouinciae suae scribere suscipit, quod patriam forte ipse ignorare potuerit, objici nullo modo potest.

Contra ea *Cromerus* et *Pessina* multo posteriores prioribus, quamuis quodammodo distinguant antiquos Vindilos a Vindis, tamen apud eos non inuenio loca auctorum laudata, quorum fide haec traderent. Nam vt jam probe consideremus antiquos scriptores, ad quos dixi me esse reuersurum: nullibi in *Ptolemaeo* legimus, eum nationis Vandalorum mentionem fecisse. Venedos vero narrat habitare supra Sinum Codanum; et hic notandum est, sinum Codanum esse versus Daniam: Venedi-

a) Lib. I. C. 2.

nedicum autem inter Pomeraniam et Borussiam, ab ostio Vistulae ad Borussiam vsque ab eodem Ptolemaeo extendi, nemo est, qui ignoret. Cum igitur *Ptolemaeus* Venedos constituat supra sinum Codanum, vltra quem scimus habitasse Vandalos, horumque ille mentionem non faciat, per hoc nimirum ostendit, Venedos in eam sese extendisse regionem, quam scimus a Vandalis dici possessam; Venedosque illi cum Vandalis eandem fuisse gentem.

Tacitus denominatione sua monstrat, Vandalos esse eosdem, quos in fine Venedos appellat.

Tandem vt ne justo longiores simus, neque easdem res ex auctoribus repetamus, index ille a nobis paulo ante congestus consulendus est.

Vralius vero et *Schoenlebenius*, elegantissimus scriptor, hoc exoptant, vt vltimum tollatur impedimentum, linguae nimirum diuersitas, cum Vandalorum lingua fuerit Germanica, Venedi vero adhuc hodie vtantur idiomate Slauonico. Sed nonne hanc objectionem elidere possemus exemplo Francorum, qui etiamsi natione Germani essent, linguam populi a se deuicti, Gallorum nimirum, adoptarunt: eadem ratione Normanni in Franco Gallia, cur antiquam Danicam linguam non loquuntur? Vt contra victores jugum et linguam imposuisse scimus Saxones Britannis. Similia etiam alia exempla, nisi haec sufficerent, adducere possemus. Id vero non minus mirandum est, esse auctores, qui Vandalos inter Germanicas numerent gentes, nullis autem exemplis demonstrent, qua lingua vsi fuerint. Nihilominus tamen conclusioni suae nihil objici posse, sibi persuadent, licet *Krantzius* et *Lazius* affirment, linguam eorum fuisse Venedicam

dicam Slauicamue. Eadem etiam ſentit *Lomonoſſouius* a) Ruſſicus Scriptor- „Vandali et Antae, ajens, juncti Slauis, „hos adhuc potentiores effecerunt. Sermonis conuenien- „tia etiam probat, has duas gentes ejusdem fuiſſe origi- „nis. *Iornandes* refert plus jam mille ducentisque annis „effluxiſſe, ex quo regio, quae ab oſtio Viſtulae verſus „Septentrionem patet, habitata ſit a plurimis gentibus „Vandalicis Winidarum, quibus ex prouinciis, quas inco- „lebant, diuerſa indita nomina fuerint, vbique tamen „ſub Slauorum Antarumque nomine cognitis.„ Verum quidem eſt, ſententiam eorum eſſe receptam, qui Germaniam extendant vſque ad Viſtulam; ſed inde non ſequitur ſtatim, populos omnes, qui iſtam regionem poſſidebant, ideo fuiſſe Germanicos. Quid vero in antiquiſſimis inuenitur Scriptoribus, quo probari poſſit, Vandalos fuiſſe Germanos? Ad Etymologiam nimirum vocis *Vandalus* confugiunt; ego vero de hac re ſuo tempore loquar, monſtraboque, eandem eſſe originem vocum, *Vandalus* et *Venedus;* antea vero ad reddendam hanc rem intellectu faciliorem, operae pretium me facturum eſſe puto, ſi vocabularium quoddam colligam vocum, quae non minus apud Germanos, quam Venedos in vſu ſunt, de cujus vtilitate Lector ipſe judicet. Talia enim non ſunt auxie conquirenda, aut fingenda; ſed ipſa res loquitur. Cum enim eorum, qui negant, Vandalos cum Venedis eandem gentem eſſe, firmiſſimum fere ſit argumentum, quod Vandali Germanico ſermone, Venedi autem ſuo proprio, plane diverſo, nempe Sarmatico, vſi fuerint: experiar, an hoc telum aduerſariis extorquere valeam; non ſolum quia haec materia ab auctoribus non ſatis

a) edit. Gall. p. 9. de Reb. Goth. c. 5.

tis explicita atque illustrata est propter inscitiam linguae Venedicae: sed et ideo, quoniam spes quaedam est, me ex hac ipsa re noua argumenta formaturum, quae probent, Vandalos et Venedos etiam propter conspirationem sermonis, eandem gentem ejusdemque originis fuisse. Nec desunt scriptores, qui Vandalis Venedicam linguam asserant, ex quibus vnum instar omnium in fine hujus paragraphi adducam.

Mater vero illa Slauorum lingua, quot dialectos diversas comprehendat, notissimum est, cum prorogata sit per quinquaginta quatuor regna vel prouincias. Atque facile apparet, nullam aliam ex Europaeis linguis per tam vastum spatium esse in vsu; et si quis considerare velit immensum, quod Russia comprehendit spatium, vastas Poloniae prouincias, et maximam illam regionem ab vltimis inde maris nigri littoribus vsque ad Adriam: magnum illum prouinciarum numerum non mirabitur.

Cum igitur lingua Venedica mater lingua sit, et maximus vocum Venedarum numerus in lingua Vandalica, aut, quod tamen supponimus tantum, germanica reperiatur, operae pretium erit, similitudinem illam exemplis plurium vocum ostendere.

§. II.

VOCABVLARIVM.

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Anyzek	Anifs,	Anisum
Balka	Balke	tignum, trabs.
Barma,	Barbe, Barme	mullus
Barwierz	Barbier	tonsor.
Bawel'na	Baumwolle	linum gossypinum

Vene-

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Bawel'niany	Baumwollen	confectum ex gossypio.
Bawol'	Büffel	bos syluester
Bażant	Fasan	phasianus,
Bednarz	Büttner	qui dolia conficit
Bela	Ballen	sarcina mercium.
Bekart	Bankert, Bastartt	spurius
Bial'assy	Blass	subalbidus
Bicz	Peitsch	flagellum
Biczuiz	Peitschen	flagellare
Biczowanie	Peitschung	flagellatio
Biesagi	Bissac	bisaccium
Binda	Binde	redimiculum.
Bindas	Bindaxt	securis quaedam
Bindarz	Binder	qui ligat,
Blacharz	Blecharbeiter	bractearius
Blacha,	Blech	bractea
Blady	Blass	pallidus
Bladosc	Blässe	pallor
Blanki	Blanken	ligna acuminata
Blat	Blatt	folium
Blech	Bleiche	locus vbi lintea sole albicantur
Blecharz	Bleicher	qui lintea sole siccat.
Bl'ękitny	Blau	caeruleus
Bl'yskawica	Blitz	fulgur
Bobr	Biber	fiber, castor
Borg	Borg	creditum
Borguie	Borgen	sumere creditum
Botuch	Badetuch	linteum balnearium.
Brama	Gebräme	fimbria
Bramowany	verbrämt	fimbriatus

Venedica,	*Germanica,*	*Latina.*
Bramuie	verbrämen	fimbriam aſſuere
Brat,	Bruder	Frater
Brew	Augen Braunen	ſupercilium
Broda	Bart,	barba
Brodaty	Bärtig	barbatus
Browar, Browarnia	Brauerey	officina cereuiſiaria
Bruk	Brücke	pons, via lapidibus ſtrata
Brukuie	Brücken bauen	lapidibus viam ſternere
Brunat,	braun	color inter nigrum et fuluum medius
Brunatny	bräunlich	coccineus
Brzuch	Bauch	venter
Brytſanna	Bratpfanne	ſartago in qua coquitur.
Buda	Bude	taberna
Buduie	bauen	aedificare, fabricare
Buk	Buche	fagus
Bukiew	Buchecker	glans fagea
Bukowy	Büchen	faginus
Bukszpan	Buxbaum	buxum
Bunt	Bund	factio foedus
Buntowny	verbunden	factioſus, conjuratus
Buntuie	verbinden	conſociare
Burgrabia	Burggraf	Burgrauius
Burmiſtrz	Bürgemeiſter	conſul
Bursztyn	Bernſtein	ſuceinum
Ceber	Zober	Labrum
Cebula	Zwiebel	cepe
Cebulny	von Zwiebeln	cepitius
Cech	Zech	ſodalitium, collegium
Cecha	Zeichen	ſignum, teſſera

Vene-

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Czechmiſtrz	Zech oder Zunft-meiſter	magiſter collegii
Cechuie	Zeichnen	ſignare
Cegelnia	Ziegelſcheune	laterum officina
Ceglarz, Strycharz	Ziegelſtreicher	confector laterum
Cegl'a	Ziegel	later
Cel,	Ziel	ſcopus
Celnik	Zöllner.	publicanus
Celſtad	Zielſtand	locus ſcopi
Cerkiew	Kirchhof	coemeterium
Cetnar	Zentner	centum pondo
Chwilka	Weilgen	momentum temporis
Cienki	Schlank	tenuis
Cl'o	Zoll	vectigal
Cugiel	Zügel	habena, frenum
Cug	Zug	jugum
Cukier	Zucker	ſaccharum
Cukruie	Zuckern	ſaccharo ſpargere
Cwelich, Dreylich	Zwillich, Drillich	telà duplex, triplex
Cyc	Zitze	mamma
Cyna	Zinn	ſtannum
Cynowy	Zinnern	ſtanneus
Cyrkiel	Zirckel	circinus
Cyrkluie	Zirkeln	circino lineare
Cytwar	Zittwer	Zedoria
Czaprak	Schabracke	inſtratum equorum
Czaruie	Zaubern	incantare
Czary	Zauberey	incantatio
Czarownik	Zauberer	praeſtigiator

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Czop	Zapfen	epiſtomium
Czub	Schop	cirrus
Czupryna	Schiprine	comae, quae ante frontem ſunt
Czynsz	Zinſs,	cenſus
Czynszownik	Zinſſer	cenſitor
Czyż	Zeiſig	acanthis
Dach	Dach	tectum
Dachowka	Dachſtein	tegula
Dank	Dank	gratiae
Deka	Decke	ſtragula
Diabol'	Teuffel	diabolus
Dył	Theil	pars
Drot	Drat	ſtamen
Drozd	Croſſel	turdus
Druk	Druck	impreſſio
Drukarnia	Druckerey	typographia
Drukarz	Drucker	typographus
Drukuie	Drucken	imprimere
Dryfus	Dreyfuſs	tripus
Druszlak	Durchſchlag	colum
Dyszel	Deichſel	temo
Faierka	Feuerherd	foculus, area igni faciendo
Fal'da	Falte	ſtria, plica, faldiſtolium in medio aeuo.
Fal'duie	Falten	plicare
Fal'sz	Falſch	falſus
Fal'szuie	Fälſchen	adulterare, falſare
Fal'esny	Fälſchlich	falſo,
Fant	Pfand	pignus, res

Vene-

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Fara	Pfarre	parochia
Farba	Farbe	color
Farbuie	Färben	colorare
Fartuch	Vortuch, Schürtze	ventrale
Faſa	Faſs,	dolium
Faska	Fäſchen	doliolum
Faſſuie	Faſſen e. c. Bier faſſen	in dolium fundere
Federpusz iuxta Knapski	Federbuſch	criſta ornando capiti
Feſt	Feſt	feſtum
Figa	Feige	ficus
Filar	Pfeiler	columna, pilare
Fiolek	Veilchen	viola
Firanki	Vorhänge	cortina
Flader	Flader	lingnum nodoſum
Flak	Flancke	ventriculus animalis
Flasza	Flaſche	lagena
Flaszka	Eläſchchen	lagenula
Fletnia	Flöte	fiſtula verſa
Fleytuch	Flocktuch	turunda, carpi
Fluks	Fluſs, e. c. ein Saltz Fluſs	affluxus humoris maligni
Foldruie	Folldringen, Volldringen	inſtare
Folga	Folge	ſequela
Folwark	Vorwerk	praedium
Formowac,	Formiren	formare
Fortka	Pförtchen	porta minor
Fortel	Vortheil	ars,
Frantuie,	Freundlich thun	verbis aut vultu facili accipere

Vene-

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Fraucmer	Frauenzimmer	Gynaeceum
Fryerz	Freyer	amator, procus
Fryerka		amatrix
Fryszt	Frist	induciae, mora
Fuga	Fuge	commissura
Fuguie	Fügen	committere ligna &c.
Funt	Pfund	libra, pondo
Funtowy	pfündig	libralis
Fura	Fuhre	vectura
Furka	Führchen	vehicula
Furman	Fuhrmann	auriga, vector
Futro	Futter	pelliceum, quod vesti subest.
Ganek	Gang	gressus, pergula
Garbarz	Gerber	fullo, coriarius
Gardl'o	Gurgel	guttur
Gąsię	Gänschen	pullus anseris
Gąsior	Gänser	anser mas
Gbur	Bauer	rusticus, agricola
Gęs	Gans	anser
Gielda, Gierada	Gilde, Gerade	societas, artificium, Gerada
Giser	Giesser	fusor
Gl'adki	Glatt	laeuis
Glanc	Glantz	splendor
Glancuie	gläntzen	splendere
Gleit	Geleite	litterae securitatis
Gl'owa	Kolbe	summitas capitis
Gmach	Gemach	camera
Gmin	Gemeine	communitas
Gniazdo	Nest	nidus

Vene-

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Gniote	Knäten	pinſere
Gnyp	Kneif	ſcalprum ſutorium
Gos c′	Gaſt	hoſpes
Grabarz	Graber	foſſor
Granica	Gräntze	limes
Grob	Grab	ſepulcrum
Graf	Graf	Comes
Gruba	Gruft	ſepulchrum
Gruby	Grob	craſſus
Grunt,	Grund	fundamentum
Gruntowny	gründlich	fundamentalis
Gruntowac′	gründen	fundare
Grys	Gries oder Grütze	farina craſſior
Gwal't	Gewalt	vis
Gwal'towny	Gewaltthätig	qui vi agit
Gwiecht	Gewicht,	pondus
Gzemsy	Geſimſe	Summum in tabulato opere
Hafft,	Haft	ſutura
Haftuie	hefften	ſuere
Hak	Haaken	vncus
Halszbant	Halsband	collare
hamuie	hemmen	coercere
Handel	Handel	mercatura
Handluie	handeln	commercium facere
Hartuie	härten	durum facere
Hebel	Hobel	dolabra
Heblowac′	hobeln	dedolare
Huf	hauffe	caterua
Kafel	Kachel	teſta fictilis fornacis
Kal'dun	Kaldaune	omentum
Kapl'un	Kapaun	capo

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Kanclerz	Canzler	Cancellarius
Kaptur	Kappe	cucullus
Karb	Kerbe	incisio
Karbuie	Kerben	incidere
Karczma	Kretschem	caupona
Karp	Karpen	carpio cyprinus
Kiy	Keule	claua. — *Cluuerio* a) est, et paltza quod Hungariace linguae, adscribit, sed purum est Slauicum, et baculum tenuem, Kiy vero crassiorem exprimit.
Kielich	Kelch	calix
Kiermesz	Kirchmesse	Encoenia
Klamka	Klincke	pessulus
Klask	Klatschen	plausus manuum
Klaskam	Klatschen	plaudere manibus
Knap	Knappe	pannarius
Knutel	Knüttel	paxillus
Koc	Kotze	cento
Kontryfal	Konterfey	imago
Konew	Kanne	cantharus
Koszt	Kost	dispendium impensae
Kosztowny	Kostbar	sumptuosus
Kostuie	Kosten	constare pretio
Kostowac'	Kosten	gustare
Kot, Kotka	Katze, Kater	felis, cattus
Kramarz	Kramer	institor
Kram-Buda	Kram-Bude	taberna institoria

Vene-

a) pag. 360.

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Kray	Krais	circulus
Krzyz	Kreutz	crux
Kſztal't	Geſtalt	forma
Kucharz	Koch	coquus
Kuchnia	Küche	culina
Kufa	Kuffe	vas magnum vinarium
Kunſzt	Kunſt	ars
Kunſztuie	Künſteln	artificioſe facere
Kupowac'	Kaufen	emere
Kuſznierz	Kürſchner	pellio
L'ada	Lade	arcula
L'aduie	Laden	ſaburra onerare
Liſztwa	Leiſte	cinctus
Lichtarz	Leuchter	candelabrum
Loch	Loch	cauum foramen
Loki	Locken	calamiſtris intorti capilli
L'ug	Lauge	lixiuium
Lutuie	Löten	ferruminare
Maſzt	Maſt	malus
Miele	Mahlen	molere
Milcarz	Müller	molitor
Mila	Meile	milliare
Miod	Meth	hydromeli
Miſtrz	Meiſter	magiſter
Mliko	Milch	Lac
Ml'yn	Mühle	mola
Mnich	Münch	monachus
Monſztuk	Mundſtück	freni pars quae ori inſeritur
Morderz	Mörder	latro, occiſor

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Moſzcz	Moſt	muſtum
Mucha	Mücke	muſca
Mur	Mauer	murus
Muruie	Mauern	murum conſtruere
Mus	Muſs	oportet
Myſz	Maus	mus
Myſzka	Mäuſchen	muſculus
Nos	Naſe	naſus
nowy	neu	nouus
Obdach	Obdach	tectum
Ocet	Eſſig	acetum
Oko	Auge	oculus
Oley	Oel	oleum
Oſiel'	Eſel	aſinus
Pal	Pfahl	palus
Pancerz	Pantzer	lorica
Papier	Papier	papyrus
Para	Paar	par
Patyczka	Peitſche	ſcutica, ferula
Piekarz	Becker	piſtor
Perl'a	Perle	margarita
Piekarka	Beckerinn	piſtrix
Pieke	Backen	pinſere panem
Pieprz	Pfeffer	piper
Plac,	Platz	fundus, locus
Pl'ug	Pflug	aratrum
Rabuie	Rauben	praedari
Rachuie	rechnen	calculum ducere
Rachmiſtrz	Rechenmeiſter	calculator
Rada	Rath	conſilium

Vene-

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Rama	Rähme	cubile
Ratuie	rathen helfen	conſilio iuuare
Ratusz	Rathhaus	curia
Refa	Reif	annulus, circulus
Reſzta	Reſt	reliquum
Rura	Röhre	fiſtula, tubus
Rurka	Röhrchen	fiſtula parua, infundibulum
Rurmiſtrz	Röhrmeiſter	aquae ducendae praefectus
Rutgieſser	Rothgieſser	cupri fuſor
Richtuie	richten	dirigere
Richtowanie	Richtung	directio
Roza	Roſe	roſa
Rygiel	Riegel	peſſulus
Rym	Reim	rhythmus
Rymuie	reimen	rhythmos facere
Rynna	Rinne	canalis
Salwia	Salbey	Saluia
ſcieram	ſcheuren	tergere
ſiew, ſianie	Saat	Satio
Siodl'o	Sattel	ephippium
Sioſtra	Schweſter	ſoror
Smak	Geſchmack ſchmackhaft	ſapor, guſtus, ſapidus,
Smakowanie Koſztowanie	Schmecken Koſten	guſtare
Smaruie	Schmieren	inungere
Szmelc	Schmeltz	encauſtum
Smukarz	Schmücker	ornator

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Snieg	Schnee	nix
Snceyrz	Schnitzer	caelator
Stan	Stand	Status
Stempą	Stampfe	Tudicula
Styr	Steuer	clavus
Steruie	Steuern	gubernare
Strefa	Streif	virga
Strefisty	Streifigt	virgatus
Strofuie	Strafen	arguere, increpare
Strychuie	ſtreichen Getreyde	cumulum aequare
Swiekier	Schwieger	ſocer
Swiekra	Schwiegerinn	ſocrus
Swinia	Schwein	ſus
Swinka	Schweinchen	porcula
Syn	Sohn	filius
Szabla	Säbel	enſis
Szacuie	Schätzen	aeſtimare
Szacowanie	Schätzung	aeſtimatio
Szafa	Schaffen	armarium
Szafarz	Schafner	diſpenſator
Szafuie	Schaffen	diſpenſare
Skrzynka	Schrank	armarium
Skop	Schoeps	vervex
Szmalec'	Schmaltz	adeps
Sznyceruie	Schnitzen	caelare
Sznur	Schnur	linea, funis
Sol'tys	Schultheiſs, Schultze	praetor villae
Szorc	Schurtz	Semicinctium

Vene-

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Szos	Schoſs	tributum
Szpichlerz	Speicher	granarium
Szpunt	Spund	operculum dolii
Szpuntuie	Zuſpünden	operculum imponere
Szaragi	Schragen	menſura lignorum
Szram	Schramme	veſtigium plagae
Szrangi	Schranken	cancelli
Szrot	Schrot	grana minutim fracta
Szrotuie	Schroten	minutim grana frangere
Szruba	Schraube	cochlea
Szrubuie	Schrauben	cochleam vertere
Sztuka	Stückchen	fruſtulum
Sztukuie	Stücken, zerſtücken	in partes ſcindere
Szturm	Sturm	oppugnatio vrbis
Sztych	Stich	punctio
Sztychac'	Stechen	pungere
Szuba	Schaube	veſtimenti genus
Szufla	Schaufel	rutrum
Szuflada	Schublade	ciſtula exemptitia
Szukam	Suchen	quaerere
Szukacz	Sucher	qui quaerit, indagator
Szumuie	ſchäumen	deſpumare
Szur	Geſchirr	ſubiugia
Szwagier	Schwager	ſororius
Szwank	Schwank	titubatio
Szwankuie	Schwancken	titubare
Szwarc	Schwartz	niger color
Szyba	Scheibe	teſſella
Szynk	die Schenke	caupona

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Szynkarz	der Schenke	caupo
Szynkuie	Schenken Schank treiben	cauponam exercere
Szyper	Schiffer	nauarchus
Szypel	Schiffchen	nauicula
Tancuie	tantzen	ſaltare
Taniec	Tanz	chorea
Teſſarz	Tiſcher	menſarius
Tragarz	Träger	portator, baiulus
Tragi	Trage	phalangae
Trunk	Trunk	potio
Tryb	Treibe-Trifft	via qua armenta aguntur
Tygiel	Tiegel	catillus fictilis
Tynk	Tünche	materia, qua dealbantur parietes
tynkuie	tünchen	dealbare parietes
Vrt	Ort	moneta pars quarta thaleri
Wachel	Fächel	flabellum
Wachluie	fächeln	ignemexcitare flabello
Wachta	Wacht	cuſtodia, vigilia
Waga	Waage	libra
Wal	Wall	vallum
Wal'ach	Walach	cantherius
Wal'karz	Walker	fullo
Wal'kuie	Walken	fulloniam facere
Wanna	Wanne	labrum vas amplum
Wargelt	Währgeld	compenſatio
Warſtat	Werkſtadt	officina
Waruie	gewähren	cauere

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Warunek	Gewährung	cautio
Wdowa	Wittwe	vidua
Wdowiec	Wittwer	viduus
Wekſel	Wechſel	litterae cambiales
Wekslarz	Wechsler	qui cambium facit
Wendrować	Wandern	peregrinari
Werbować	Werben	conſribere milites
Wieſzczek	Weiſſager	diuinator
Wilkom	Willkommen	crater ſalutandi cauſſa
Winda	Winde	trochlea
Winduie	Winden	trochlea eleuare
Winiarz	Wintzer	vinitor
Wino	Wein	vinum
Winſzowanie	Wunſch	deſiderium
Wol'	Bulle	bos
Woyt	(Voit,) Voigt	praetor ruſticus
Wyderkowy	Wiederkaufen	redimere
Wyderkownik	Wiederkaufer	fiduciarius emptor
Wyka	Wicke	vicia
Zagiel	Segel	velum
Zaglik	Schiffer	nauta
Zegar	Seiger	horologium
Zeglarz	Segler	nauta
Zeglowanie	das Segeln	nauigatio
Zegluie	Segeln	nauigare
Zegnam	Segnen	ſignare cruce
Zegnanie	das Segnen	benedictio
Zemla	Semmel	panis triticeus
Zenca	Senſe	falx meſſoria
Zgwal'cic	Gewalt thun	violare

Venedica.	*Germanica.*	*Latina.*
Zgwal'cony	gewältiget	violatus
Zlod	Schloſſen	grando
Zmaza	Sehmutz	macula
Zmazac	Schmutzen	maculare
Zol'd	Sold	ſtipendium
Zol'dowy	beſoldet	ſtipendarius
Zol'duie	beſolden	ſtipendia dare
Zol'nierż	Soldner, Soldat	miles
Zol'nierż letki	leichter Soldner	veles
Zwadca.	Schwätzer Zänker.	litigator.

Sclavica.	*Anglica.*	*Germanica.*	*Latina.*
Bat	Bat	. . .	clava
Bitti	Beat	. . .	verberare
Brat	Brother	Bruder	frater
Matti	Mother	Mutter	mater
Seſtra	Siſter	Schweſter	ſoror
Nos	Noſe	Naſe	naſus
Stiena	Stone	Stein	ſaxum
jes	yes	ja	eſt
Syn	Son	Sohn	filius
Cuna	Cunning	liſtich	aſtutus

Venedica.	*Vandalica.*	*Polonica.*	*Latina.*
Ruſe	Ruzie	Ruża	roſae
Stol	Stal	Stol'	ſedes
Klak	Klach	Klap	calx
Ptich	Prach	Płak	auis
Kyliuc	Klicz	Klucz	clauis
Zubi	Zumby	Zemby	dentes

Vene-

Venedica.	*Vandalica.*	*Polonica.*	*Latina.*
czisti	czysti	czysty	purus
Kuchac	Kuchas	Kucharz	coquus
Mliko	Miliko	Mleko	lac
Mladi	Mlady	mł'ody	juuenis
Strach	Strach	Strach	timor
Vak	Volk	Wilk	lupus
Cetiri, pat	czerzi, Piet	cztery, pięc	quatuor quinque
Prosiak	Prosach	Proszak	mendicus,
Mux	Mus	Mąż	maritus
Wnuk	Wnach	Wnuk	nepos
Mucha	Mucha	Mucha	musca
Tissuchia	Tysitz	Tysi¸c	mille
Swietlost	Lost	Swiatl'osć	Lux
Snieg	Snych	Snieg	nic
Woda	Woda	Woda	aqua
Wieter	Wietar	Wiater	ventus
Kuda	Rata	. . .	cauda
Sniexno	Snychno	Snieźno	niualis
Moi	Muy	moy	meus
Tanaz	Tanetz	Taniec	saltatio
Misc	Mys	Mysz	mus
Smiati	Smitti	śmiać	ridere
Hulala	Chwaly	chwał'a	laus
Dil	Dyl	Dyl	pars
Lau!	Levu	Lew	Leo
Tuchi	Tuti	. . .	pinsere
Mlatiti	Matiti	Mł'ocic	percutere
Hliti	Chtiti	chcieć	velle
Nasc	Nass	Nasz.	noster.

 Quen-

Quoniam id ab hoc inſtituto meo non abhorrere videtur, eandem linguarum conuenientiam Oratione dominica diuerſarum gentium comparata illuſtrare decreui. a)

Mirandum certe eſt, neminem adhuc magnam linguae Venedo-Vandalorum, conuenientiam obſeruaſſe; nobis hic ſi liceret longioribus eſſe absque taedio lectorum, maximum congruentium adhuc vocum numerum, adducere in medium facile foret. Sed vnum id addam, litteram F non reperiri, niſi in Germanicis vocibus, aſſumtis ſine dubio, poſtquam eorum terras Vandali occupauerunt, quibus deceptum eſſe *Clauerium*, quis nunc non videt? Sed de hac re inferius videbimus. Quid autem de aliarum vocum maximo numero dicam? Vandalicae voces absque vlla mutatione ſunt voces Venedicae vſitatiſſimae et in vniuerſum lingua noſtra receptae, cujus rei exempla quaedam adducenda videntur.

Subſtantiuum.	*Adjectiuum.*	*Verbum.*
G. Sturm	Sturmowy M.	Sturmuiz 1)
L. Turbo	Sturmowa F.	Sturmuiesz 2)
G. Sturm	Sturmowe N.	Sturmuie 3)
Witer Venedice	Witrowy	Witruiz
Ventus	Witrowa	Witruiesz
Winter Germ.	Witrowe	Witruie
Kocharz	Kocharzowy	Kocharzuiz
Coquus	Kocharzowa	Kocharzuiesz
Koch Germ.	Kocharzowe	Kocharzuie.

Si quis plura e ſermone Vandalico in medium attulerit vocabula pure germanica, rem aliorum arbitrio relinquam. Gratulor *Grotio* - - - reperta nomina Gothorum Vandalorum et Longobardorum appellatiua; fateor autem

a) vide Tabulam huic paginae adiectum.

Vandalica.

Naſch wotz kiz ſsy ty wene beſſach,
Sswiaczene budz twoie meno,
Pſchidz knam twoje kraleſtwo,
Twoia wolia sſo ſtan kaiz na nebiu,
tak tiez na ſemi,
Naſch wſchedny chlieb dai nam dzenſſa,
A wodai nam naſche wine, jako mu
wodawamy naſchym winikam,
A newedz nas do ſpyttowania
Ale wumoz nas wot teho sleko,
Pſchetoz twoje jeie kraleſtwo, a ta moz
a ta czescz acz de wieczno szcze.
Amen.

Alia Vandal. a)

Woſchzi naſch ſy nuneby,
Nsveſche, meno tvojo,
Psziszknam kraloſtwo twojo,
Seſtavi vola twoja, yako na nebo y
tu nazemi.
Kleb naſch dneitſchi dav nam ſchnisz
A wodai nam wini naſche, ak my
wodawani winikom naszym,
A newelich nas dopitowaine;
Ale vmosz naswod Slego. Amen.

a) Vide Chamberlayne p. 80.

Luſatica. d)

Voshe nash keush szi na nebu,
Voszveshone bush ime tvoje,
Poshish k nam kraleysztvo tvojo,
Szosztani vole tvoja, ak na nebu, tak
ho na zemu
Klib nash vshidni dai nam shenſa,
A vodai nam vini nashe ak mi vodava-
mi vinikom nashim,
Ne veshi nasz do ſpitovanya,
Ale vimoshi nasz vod zlego,
Psheto tvojo je to kralyesztvo, a ta
mocz, a ta czeſt vot nimernoszkich
nimernoszti Amen.

d) vid. Chamberlayne p. 82.

Alia Luſatica. e)

Woſch naſch kenſch ſy nanebebu,
Wos-weſchone bushy me twoje,
Ps-ish knam krajleſtwo twojo,
Se ſtany woli twoja, takhak manebu,
tak heu naſemy,
Klib naſch. ſchidni daynam ſhenſa,
A wodoy nam wyni nashe, ack my
wodawamy winikam nashim, a
Neweshi naſs doſpitowania,
Ale wimoshi nas wot slego. Amen.

e) Meg. n 38. Conf. Piſt. n. 35. Reut. n. 35. Wilk. n. 33.

Slauonica. b)

Otecz naſch ki szi na nebeſzek
Szvetiſze ime tvoye,
Pridi kralyesztvo' tvoye,
Budi volya tvoya, kako na nebe takoy na zemiye,
Kruha nashega vſzagda nyega dey nam deneſz,
I odpuszti nam duge naſhe kako y mi od puscſamo dusru kom naſhym,
I nevpelyay naſz vaszhuſsa,
Da oszlobodi naſz od zla. Amen.

b) Georgewicz p. 115. Conf. Dur. p. 744. Geſn. p. 62. a Piſt. n. 62. Reut. n. 28.

3. *Vandalica.*

Noſs hôlya wader ta toy chiſs wa nebisgay,
Siunta woarda tugi geima,
Tia, willya ſchingôt koke nebisgay, kok kak na ſime.
Noeſſi wiſſe danneisna ſtgeiba doy nam dans.
Un wittedoy nom noſse ggreîs tak moy wittedoigime noſſem gresnarim.
Ny bring goy nôs ka warſikonge,
Tay lôſoay nos wit wiſſokak. Chundak.

Seruica. c)

Otze nash, ishe jeſi v' nepeſich,
Posvetiſe jmie tuoie,
Pridi krailestuo tuoie,
Budi volia tuoia Kako unebi, i takoi nazemlii,
Hlib nash uſak dany dai nam danas,
I od puſti nam duge nashe, kako i my od pushzhamo dushnikom. nashim:
I ne vovedi nas v' napaſt,
Dais bavi nas odi sla,
Iako tvoie je kraileſtvo, i mozh i slava uaveki. Amen.

c) Meg. n. 32. Conf. Wilk. n. 30.

Obſeruationes.

In hac oratione Dominica linguae Vandalicae, occurrunt aliqua vocabula germanica inter reliqua Venedica, quae videntur illa a Germanis doctoribus, qui cultum Chriſti ad Vandalos transtulerunt, eſſe aſſumta. Talia ſunt: *hôlya Wader:* Sancte Pater; *Woarda,* fiat; *Willya,* voluntas; *witte doy,* remitte; *Vn,* et; *bring;* inducas; *warſikonge,* tentatio. Haec verba omnia plane ſunt germancia, et in Slauonica lingua nullam habent ſignificationem.

tem ingenue, his eruendis operam me non impendisse, sed potius vocibus verbisque. Nam ex his dijudicari potest, an conueniant inter se duae linguae, id quod satis jam probaui. Rimari etymologias nominum appellatiuorum, nimia mihi quidem videtur temeritas; eaque nomina more Grotii anxie detorquere, mea quidem sententia, est nimium ingenio suo indulgere. Nomina praeterea Gothorum Vandalorum et Longobardorum appellatiua, nec similitudinem inter se, nec eandem habent terminationem. Vt ne jam morer in refutandis significationibus, quas Venedicis nominibus ex Germanica lingua affingit, vnum tantum exemplum commemoro. *Radgast*, apud illum significat *celerare*, nostra sententia vero de verbo ad verbum *Rad* dicitur *gaudens*, *gast* autem *hospes* atque adeo, *Radgast* gaudens *hospite*, ne littera quidem mutata. Festimonium jam sisto supra promissum de Venedica vandalorum lingua *Naucleri* a) qui: „Vendali inquit, quoque „ejusdem linguae cum Slauis fuisse traduntur, qui sub „Genserico fuere, quorum adhuc reliquiae in Germania „appellantur Vindelici, Saxonibus contermini; sed ego „arbitror in hoc errari. Nam Vindelici sunt Augustenses „a duobus fluminibus ita dicti Vinda et Lico; nec contermini sunt Saxonibus, ante puto Wendos, qui subsunt „Marchiae Brandenburgensi reliquias Vandalorum superesse. „

§. III.

DII VANDALORVM.

Vt in quocunque populo nihil antiquius est cultu, quo Deos prosequitur, ejusque historia, ita etiam res se habet in quaestione de Vandalis. De Cultu vero Deorum

a) Chron. p. 624.

rum Vandalis vsitato praeter *Albertum Krantzium* Programmata *Ioh. Leonhardi Frischii* de Lingua Slauica, et *Eliam Scheidium*, sacrae quoque antiquitatis monumenta, in Ducatu Megalopolitano, veteri vt pote Vandalia reperta; et a D. *Tempelio*, *Christianoque*. *Cnauthio* breuiter descripta, adiri possunt. Slauicae sunt enim originis, vt ostendit *Cl. Seuerini* in egregio opere, Pannonia veterum monumentis illustrata. Reperiuntur etiam in *Abrahamo Frentzelio*. Fatendum tamen est, ab his auctoribus linguam non satis callentibus, nomina idolorum, vt ita dicam, fuisse latinizata, et explicationem eorum non vbique esse genuinam.

Cl. Scheidius a) ait, idolum Vlints, vel Vlins, Flinz corruptum esse ex Vlissav, F pro V, vt saepe fit, posito; additque, fuisse Regem Vandalorum Vislaum vulgo Vitzlav: seu Witislav i. e. laudans s. adorans Witum deastrum. *Saubertus* vero omnia per F pronuncians, vult Vlins vel Flintz venire a Fislav vel Flizzav. Videsne, Lector, quantum verba a primitiua pronuntiatione recedant? Quidquid sit, is Vislaus est, qui Senones et Sueuos ditionibus suis eiecit, anno Christi 91. totamque regionem illam, quae nunc Marchia Brandeburgensis vocatur, occupauit, vt *Chron. Holsat.* et *Nicolaus Marschallus Thurius in Annal.* Herul. referunt: quibus tantum adjiciamus, memoriam hujus Vandalici Herois conseruatam fuisse in gente Principum Megalopolitana, nec non duabus Principum Rugiae et Pomeraniae familiis. Imo hoc nomen vere est Polonicum, quia a Comite Wislao, qui adhuc ex Popielia-Paprochi Familia superstes erat, ciuitas certa dicta Vislauia nomen Conditoris sui conseruauit. Sufficeret hoc ad demonstrandum,

a) pag. 726.

dum, nomen eſſe Slauicum: ſed omnia horum Principum nomina Slauica fuiſſe, notum eſt. Venedice autem *Vi-Slawo* eſt *noſcens famam.* *Flins* autem nec Germanicum eſt, nec a *Flinta* armorum genere poſt mille annos demum inuento deriuari poteſt. Imo tam eſt Polonicum, quia in Domo antiqua Comitum Dzialynſciorum et Koſcieleciorum nomen Vislai, gentile antiquitus fuerat.

Radagaſt antiquus Vandalorum Rex, cujus nomen, ita ſcribendum et pronunciandum, non *Radegaſtus*, ſignificat, placidus hoſpiti. *Frencelius* vult, hunc eſſe Martem, licet verum ſit, hunc Regem fuiſſe Heroem, dignum Martis encomio, tamen apud *Longinum* a) lego Martem appellatum fuiſſe Ladam. Nomen autem Radagaſti, vt ſupra dictum eſt, plane diuerſam habet ſignificationem. Addo, materia ita poſcente, Radagaſtum cultum ſuiſſe in antiqua vrbe Vineta Rhetra, apud Obotritos Wagrios atque Polabos aliisque in locis, de qua re vide *Helmoldum;* ſed eſſe eundem inter idola Slauorum, cognoſcimus ex oppido, in Polonia verſus Cracouiam, Radgoſc appellato. *Ioh. Georgius Stredowski* in Sacra Morauiae hiſtoria, b) apud Morauos eundem etiam in monte, qui hodie Radhoſt dicitur, celebratum fuiſſe, dicit, et plures Radhaſos in antiqua Vandalia repperiri. Sic et alia argumenta nobis praeſto ſunt, quae Lectorem ſcire non pigebit. Dicunt alii *Rhadegais* legendum eſſe. Sed vnde? id quaero; mea quidem ſententia, melius omnino feciſſet Grotius, ſi integram reliquiſſet vocem *Rathgaſt*, id eſt *concilians hoſpitem*, et tunc Gaſt idem etiam ſonabit, Venedice hoſpitem ſignificans. Genuine autem *Radgaſt* eſt gaudens hoſpite

a) p 36. 37. b) p. 37.

ſpite vel laetus ex hoſpite. En jam et hic meae quaeſtionis argumentum, tot Vandalicas voces eſſe Venedicae originis.

Tandem quomodo *Grotius* ad quaeſtionem meam reſponſurus, non deberet non percipere errorem ſuum? Quaero enim, quis fuerit Hardigaſt Princeps aut aliis dictus Rex Slauicus, quem Priſcus Dux Romanus anno 594. improviſo adortus, fortiter pugnantem multitudine militum tamen cedere coegit, a) aut iſtius filius Biragaſt, gentis gloriam anno 597. vltus, inſidiis excepto Petro Imperatoris Mauricii fratre? Erantne Germanici Principes Slauicae genti imperantes? Hinc de alucinatione *Grotii* judicare licet. Sic ſimile nomen Anagaſti potius Hanagaſti; qui Anagaſtus et Oſtrouius (ambo Slaui) Duces Romani in bello contra Gothos Scythasque ſub Dengiſich filio Attilae hoſtes in anguſtiis montium obſiderunt? Porro et Dobrogaſt eſt nomen Slauicum hodie inter Polonos valde vſitatum.

Qui vero quaerunt, vnde *Cl. Schloetzerus*, cui multum hiſtoria Slauica debet, haec ſumſerit, quae ſequntur; „Fortaſſe Radegaſti Scythae erant veri Slaui, nomen ſaltim „Ducis pure Slauicum eſt: „ pauca legiſſe videntur, cum apud *Helmoldum* (et in notis *Bankerti*) *Albertum Crantzium, Miechouitam Longinum Cromerum* Radgaſtum legi, minime vero Radagaim inuenerint? atque ejus *Radgaſt* delubrum dixi in Polonia fuiſſe, cujus reliquiae ſuperſunt loco ipſo Radgaſt vocato, vnde aliquot milliariis, eſt et aliud, ad Medam fluuium veſtigium Deaſtri *Zagaſt*, in loco delubri *Zagaſt*, quod verbum ſignificat *pro hoſpitibus*. An

Nedam

a) *Priscus de Legat. T. I. Byzant. p.* 45. Pariſ.

Nedam quis ignorat apud Vandalos et Vendos Deam olim fuiſſe, in cujus honorem fluuius nomen ſortitus ſit? Eſt et modicum oppidum Radgaſt inter Halam et Deſſaviam; Slauos autem hic olim vixiſſe, ſatis notum eſt.

Iungendus Flinzio h. e. Vislao et Radgaſto aliud ex Rege idolum *Croco, ſ. Crodo,* quod in arce Hartesburg ad Syluam Hercyniam juxta montem Melibocum ciuitatemque Goslarienſem coluerunt, cujus antiquitates exhibet *Scheidius*. Vtrum vero is fuerit, qui ad Aureliam anno 410. occiſus eſt, an anterior, incertum eſt; ſed ſufficit, ejus apotheoſin in auctoribus reperiri.

Aliud idolum eſt *Tibylenus*, quod tantum non ipſum Diabolum ſonare videtur, cum vulgari loquendi modo der *Diebel* vel Diefel *Slauice Diabol* dicatur.

Heroas aliquot alios adducam, quorum nomina ex pronunciatione Slauica diligentius illuſtrabo.

1. *Poreuithus.*

Qui *Boryuidz* intelligendus eſt. Nam vbi Germani P. habent, ponunt Slaui B. ergo Borywidz eſt *Deus nemorum.* Poryuithus autem nullam ſignificationem habet.

2. *Porenutius.*

Borymir vel *Borymin* ſeu *nemora amans* vel habitans ſeu poſſidens, aliis etiam corrupte *Boruan;* vnde Latinum ortum eſt *Baruinus* vel *Barnimus,* quibus nominibus etiam multos ex Vandalica domo principes inſignitos, legeris. In nulla alia lingua ſignificationem aliquam haec vox habet.

3. *Rugievithus.*

Nihil aliud eſt, quam *Deus Vidz,* a *Rugiis cultus.*

Suantywidz, quem perperam crediderunt fuiſſe Sanctum Vitum inde a Ludouici Pii tempore per Corbeienſes celebratum, ſola nominum ſimilitudine inducti; cum tamen in oculos ſtatim incurrat, nomen idoli finiri per litteras *dz;* Sancti vero nomen per litteram T. *Viit, Vitus.* Suantywidz ſignificat igitur *proſpiciens vel videns;* hunc fere, vt Ianum colebant Vandali Arconae in Rugia, vbi Waldemarus I. Rex Danorum Chriſtianae fidei addictus, hoc idolum demum euertit. Ita de eo *Helmoldus* a) „Inter multiformia Slauorum idola praepollet *Zuandeuith,* „Deus terrae Rugianorum, vtpote efficacior in reſponſis, „cujus intuitu caeteros quaſi ſemideos aeſtimabant.„ Haec jam idola inſtar omnium oſtendunt, Vandalis ipſa fuiſſe propria, ſiue ad Radagaſtum reſpiciamus, quem conſtat fuiſſe Regem Vandalorum conſecratum, ſiue ad Vinetam et Arconam Rugiae, quae loca certiſſime ad Vandaliam pertinuerunt, cis Viſtulam nimirum ſita.

Sequitur jam idolum *Pogoda*, non vero, vt male pronunciatur, *Podaga. Longinus* paginis ſupra citatis affirmat, Slauicae fuiſſe originis Vandalos. Nam habebatur (ait) et apud illos pro Deo *Temperie*, quem ſua lingua appellabant *Pogoda*, quaſi *bonae aurae largitorem.* Helmoldus *Plunenſe* idolum vocat, ſed obſcuri nominis eſt, et ſi conjecturis locus, in *Plona* arae cultores habuit. Compertum itaque habemus, Vandalos cum Slauis communes Deos penatesque habuiſſe. *Pogoda* enim nil commune habet, vt volunt, cum Datore.

Sieba ſeu *Siwa* Polaborum, ſiue vt hodie dicuntur Ratzeburgenſium Dea b) fuit Venus Polaborum atque vt non-

a) Chron. Slau. Lib. II. c. 12. Crantz. Wandal. L. III. c. 37.

b) *Helmold* L. I. c. 53. *Bangert* L. II. p. 127. Conf. *Elias Scheidius* Syngr. III. c. 9.

nonnulli autumant, eodem in monte culta eſſe dicitur, in quo poſtea ab Henrico Leone templum Cathedrale conditum eſt. *Bangertus* ejus figuram exhibet. Sed *Sieba* eſt *ſeminare*, ita vt Dea frugum, ſub hoc nomine culta videatur, vt idem *Longinus* de diis Slauis ſcribit, qui nominat Cererem. Non tamen, vt quidam volunt, Sieba ipſa Ceres, a Romanis culta, apud Slauos. Slauis etiam *Marzana* dicebatur. Illa vero Vandalorum Dea, quae *Siua* plerumque appellatur, *Zywa* ſcribi et pronunciari debet, id eſt viua vel viuida. Habuerunt enim Venedi etiam, teſte *Longino*, idolum Venedicum *Zywie* ſeu *vitae Deum* appellatum. Qui vero per litteram S pronunciant *Siwa*, hoc efficiunt, vt *cana* vocetur, quod tamen nomen ipſi non videtur conuenire; quippe quae non ſub forma vetulae depingatur. *Zywa* vero, vel vt apud *Ludouicum* in diſſertatione a) nominatur, *Dziwam* magis conuenire apparet, *Zywae* vel *Dziwae* hoc eſt Deae vitae.

Antequam hunc locum relinquo, paucis adhuc monendum eſt, Vandalis, qui non tam re ipſa, quam nomine a Slauis differunt, duo praeterea numina tribui *Belbuch* et *Zernebuch*, vt ait *Immanuel Weberus*.

Ex his jam *Belibog* nominandus eſt, quem perperam dixerunt *Bilbocum*, *Beli* enim ſignificat *Album*, et *Bog Deus* eſt, vnde *Bogomili* a *Bog* et *milui* dicebantur Graecis ſeculi 12mi. Legimus de eo in *Scheidio* de antiquis Celtarum Diis: b) *Belenus* etiam dicitur ſiue *Belini*. Affirmare autem pro certo poſſumus, vocem *Belin* aut *Bilin*, quod idem eſt, ſignificare *Album*, et eſſe vocem Slavonicam. Idem Auctor ait, hunc deum Apollinem, repraeſentaſſe; Apollinem enim plerumque ſub venuſta et albi-

a) §. III. p. 30. de Diis Slauorum. b) p. 164.

albicante forma ob oculos poni. Vandalorum principes, vt Henricus Bilin et Miecislaus Bilin &c. nomina assumserunt Belin, Bilin vel Bilum, non vero vt corrupte pronunciatur Bilung; haec enim Slauonica vox non est, de qua re conferatur *Ayreri* Hermannus Slauicus.

Sic et Aquileienses, teste *Herodiano* a) idolum habuerunt, quod Belen vocant indigenae, magnaque cum religione colunt, Apollinem interpretantes, de quo Deo Belen *Celeber Episcopus Adriensis Philippus a Turre* docte scriptam dissertationem edidit. *Belenus* vel *Beli-Boeh* est Deus albus id est, fauens.

Czernibog non vero *Zerniboeg,* atro vultu Deus, Plutonem repraesentare videtur.

Sequitur Wagriorum, b) qui hodie Halsati aut his vicini sunt, idolum non minus celebre; non *Brono,* vt *Bangertus* habet, sed *Piorono,* quod Slauice est *fulmen* et conuenit Ioui.

In monte Harlingorum et Iutinae etiam adoratus fuit Triglas vel Triglatt. c)

Quae omnia luculenter ostendunt, nullum fuisse Vandalis idolum, quod non a Venedis etiam cultum, et cujus significatio denominatioque non e Venedico sermone petenda sit. Recentiores scriptores, cum ex opinione praeconcepta non auderent, neque vellent affirmare, Vandalos et Venedos, vnam eandemque gentem fuisse: eo confugiunt, vt dicant, post magnam Vandalorum in Pannoniam primo, deinde in Hispaniam Africamque migrationem, reliquias eorum, qui nimirum in antiquis ad mare

re

a) Lib. VIII. c. 3. p. 340.

b) *Bautrand.* Lexic. Geograph. in voce Wagria.

c) *Crameri.* hist eccl. Pomeran. Lib. I. C. 21. p. 52.

re Balthicum sedibus remanserant, a Venedis sub potestatem redactas, paulatim eo etiam fuisse adductas, vt linguam habitum moresque victorum suorum, id est Venedorum acciperent. Nullum tamen hujus rei in tota historia extat vestigium; nihil, quo monstrari possit, Vandalos alio vnquam quam Venedico sermone fuisse vsos. Hoc autem a nobis contra sat luculenter, vt speramus, demonstratum est, multo ante primam eorum migrationem in antiquissimis sedibus reges eorum et idola inde orta, Venedica nomina habuisse, vti Vislaus anno jam 91. post Christum natum, Radagastus item Miecislaus aliique, quae nomina plane aliena sunt a sermone Germanico, nec vllo modo ex illo possunt deriuari. Demonstrandum igitur clarissimis argumentis documentisque est Vandalos ab origine sua in priscis sedibus ad mare Balthicum, germanico sermone vsos esse: quod donec factum fuerit, id vero credo non tam cito fore, Vandalos pro Venedis habebo.

Nam si Vandali Deos habuerunt tales, quales nobis historia refert, et si talia idola effossa sunt in circumiacenti Magdeburgum et Megalopolin regione, nec non in Rugia; locum fere habent illa *Ciceronis* de Natura *Deorum.* „Omnes religione mouentur, et Deos patrios, quos „a majoribus acceperunt, colendos sibi diligenter retinen„dosque arbitrantur.„

§. IV.

VRBES.

Cum igitur linguam ipsam populi antiquissimum et maxime genuinum putem monumentum, quod eandem nationum vel tribuum prodat originem, nihil, mea quidem sententia, magis significare potest antiquitatem, a

nostris temporibus maxime remotam, quam vrbium et locorum nomina. Licet enim vita veterum nomadica ipsis non permiserit, vt multas extruerent vrbes: nihilominus tamen omnes populi et Vandali etiam principalem aliquam sedem distinctam habuerunt. Cum autem hi Vandali inciperent habitare cis Vistulam, seque ad Albim vsque extenderent, celebre factum est notum in historia emporium Vineta, quam antiquissimam fuisse vrbem memoria traditum est, jamque magnum effluxisse tempus, ex quo aquis fuerit haec vrbs submersa, cuius ruinae mari refluente, etiam nunc apparent. Notandem igitur est, eam antiquissimis iis temporibus fuisse aedificatam, simulque miratu est dignum, vrbem, caput Vandalorum, vel Vandilorum, non Vandilam vel Vandilum appellatam esse, sed Vinetam a Vinetis, vel rectius Vinedam a Vinedis seu Vindis. Certissimum enim est, Latinam vocem Vinetam aut Vinedam Slauonice esse Window aut Windowa. Consulendus autem de hac vrbe, si plura scire libuerit, *Helmoldus* est. Sic diuersa pronunciatio diuersas de gentium origine opiniones produxit. Nec loquuntur minus auctores de alia vrbe antiquissima, quam Radagast appellant, sita inter Halam, quae ad Salam est, et Luneburgum. Scimus, Vandalos inhabitasse has regiones antea: *Radegast* autem non solum idoli nomen, sed etiam Regis apud Vandalos erat, de quo statim dicendum erit. Tertia vrbs Vandaliae antiquae erat *Vismar*. Facile intellectu est, haec nomina in Latinum sermonem versa, esse aliquomodo detorta, vt omnia nomina propria vrbium et prouinciarum; sicuti Graeci etiam et Latini historici peruerterunt omnes fere primogenias alienarum linguarum voces. Sic Vismar, Slauonice *Wisimir* appellatur, quo nomine apud historicos antiquos Rex quidam dicitur. Quarta

vrbs

vrbs occurrit dicta *Lawina*, cujus nomen dignum eſt, quod explicetur; ſignificat autem ſedem aut domiciliolum, et certum eſt, Geronem primum Luſatiae Marchionem eam conſtituiſſe ſedem ſuam. Geographi Vandaliam appellant eam regionem, cujus caput eſt Stolpenia, octo milliaribus a Gedano diſſita, quaeque ab incolis vocatur *Slupsko.* Notum eſt, hanc regionem ſubjectam fuiſſe ducibus Pomeraniae, quia hi Principes orti erant a ſtirpe Regum Vandaliorum, ſi quidem multis hiſtoricis fidem habeamus, quorum auctoritate liquet, Principes Venedicos a ſanguine Regum Vandalicorum ortos, vrbisque Vandaliae nomen *Slupsko* ex lingua Venedica deriuandum eſſe. Hae quinque autem vrbes aperte vnam eandemque linguam tam Vandalorum, quam Venedorum fuiſſe, demonſtrant: quilibet igitur mirabitur, duas eas et diuerſas nationes videri. Sic quoque vnusquisque nobiscum conſentiet, communem eſſe eam ſortem antiquorum Regum Principumque, vt quoad ſyllabas, ſonum et pronunciationem, eorum nomina ſint turpiſſime detorta; nemoque mirabitur, nos ea reſtituere conari, cum propria nomina Venedicae linguae ſemper aliquid ſignificent, et inde facile ad ſenſum proprium reuocari poſſe videantur.

Quod ad Magdeburgum adtinet, a) certum, eſt illam vrbem a Slauis et Vandalis poſt Caroli M. tempora ſaepius euerſam deuaſtatamque, iis autem ab Henrico Aucupe cum toto illo tractu ereptam; inter illas vero Slauo rum et Vandalorum incurſiones deuaſtationesque, jam ante Ottonis tempora, vel etiam aetate Caroli M. imo forte et ante eam, arcem ſeu burgum Magdeburgi fuiſſe eique praefectos Comitesue praefuiſſe. Arci praeerant prae-

a) *Schroeter* de Burggrauiis Magdeburgicis p. 10, 11.

praefecti Nobiles, quos Burggrauiorum nomine postea ornauerunt; qui Burggrauii vtrum origine Saxones, an vero Vandali fuerint, non patet. Saxones fuisse, malim credere, qui vicinis Vandalis imperarent, et ex quibus originem duxerit Bernhardus.

§. V.

REGES.

De *Radagasto* jam locutus sum; sed plures quidem Reges hujus nominis reperire sibi videntur apud Vandalos, quorum vnus a Stilicone necatus ao. 423. a Vandalis post mortem diuino cultu affectus fuit. Ceterum Radegast, si vnquam nomen Germanicum sit, certo etiam est Venedicum, significatque, vt supra dictum, *virum hospitibus placere studentem.*

Korcigo, non *Corsico*, filius Radagasti mortem patris vlturus hostili animo exercitum ad Pyrenaeos vsque montes duxit. Est vero *Korcigo* certissime e lingua Vandalica desumtum, et *inquietum* vel *sollicitum aliquem reddere* significat.

Wyzimirum supra nominaui. Ejusdem nominis princeps etiam apud Polonos legitur; et terminatio in *mir* plurimis eorum Ducibus communis fuit. *Mir* autem est pax, vnde Wyzimir significat *extollentem pacem.*

Sequitur *Godegiselus* Rex Vandalorum. Superfluum foret obseruare, hanc terminationem *Giselus* ex Latino additam esse satis barbare. Aperte enim patet, initium vocis esse Venedicum, terminationem vero non ita. Nos hoc nomen *Godyslaw*, *Godislaus* pronunciamus, quod Venedice est *petens famam*. *Godi* est etiam *officium in nuptiis; Godzi intendere alicui rei* animum; quae versiones vnum eundem-

eundemque diuerſis verbis ſenſum exprimunt. At *Godi* a *Gott Germanico*, *ſeu Deo* ſumtum eſſe, nunquam mihi perſuadebitur, et qui *Godegiſelum* ſignificare putant *Godesgeſell* (dei ſocium) falluntur; id quod facile demonſtrari poteſt ex Mythologia Barbarorum. Nam poſt plura demum ſecula habuerunt Vendi Principem nomine *Bogislaum*, quod ſignificat *Diis laus*; id nomen Chriſtianiſmi Temporibus mutatum eſt in *Boguslaw*, quod ad vnum Deum relatum, ſignificat *Deo laus*. Certiſſimum autem eſt *Godislaw* vel *Godzislaw* apud nos eſſe nomina obuia; quae ſi a *Goth* deriuarentur, vt *Gothica* nomina ſint, tamen a gentis Gothicae potius nomine, quam a Deo i. e. *Gott*, *voce Germanica* venirent. Hic autem, quem dixi, princeps *Godegiselus* ad ſummum gloriae faſtigium peruenit, et relicto natali ſolo, Vandalorum magno exercitu cinctus, ad Hiſpaniam occupandam anno 40, profectus eſt; vnde quidam *Andaluſiae* nomen repetunt, quaſi *Vandaliciae*.

Cum vniuerſa tamen gente ex his oris profectus eſſe non potuit, quia ſucceſſorem filium natu minorem reliquit *Wiſiſlauum*, qui non ſolum Vandalos ad ſinum Codanum ſub imperio tenuit, ſed a quo etiam Vandala et Regia ſtirps ducum Vendo - Mekleburgicorum ortum deducit, vt a collaterali linea duces Vendo - Pomerani deſcendunt; in quorum ſtirpe videmus adhuc vnam eſſe gentem Vandalorum ſiue Vendorum. De *Godislao* monendum reſtat, illum apud *Vaſaeum Goydiſcum* nuncupari, ex quo apparet, quam varie ab auctoribus vera nomina Principum ſint pronunciata, ita vt difficile videatur, verum *Godislao* nomen vindicare. Hoc tantum dicam: ſi *Vaſaei* pronunciationi fidem habemus, in Vendo - Dalmatica vel

Croatica linea plures Principes huius nominis *Goislaw* apud *Du-Cangium*, rectius *Godyslaw* reperiemus.

Quid de *Genserico* dicam, qui a nostris *Gensiorek* vocatur? Nempe moris nostri vel nunc est, longioris colli hominem, eo nomine insignire; ducitur autem a *gengac gingrire*, quod anserum vocis proprium est.

Restat vltimus et infelix Vandalorum Rex Gel'mir, (dumita l' scribitur, acuenda est pronuntiatio) quem Graeci in *Gilimer* transformarunt; Gel'dmir vero apud nos est *populum amans*.

Legimus insuper in descriptione ciuitatis Nemesiacae a nescio quo Abbate profecta, *Crocum* seu *Cracum* Regem Vandalorum ao. 407. vrbem illam cepisse et publica aedificia euertisse. Sunt, qui *Crocum* ad Aureliam in Gallia ao. 410. vitam amisisse referant. Nobis sufficiat addere plures Vandalorum Reges eius nominis fuisse, vt *Krok* quendam reperi ex stirpe Regum Obotritarum, vel, quod idem est, Rugiensium, auctorem familiae Megalopolitanae, qui tamen et *Krak* dicitur secundum diuersam Auctorum scribendi rationem. Latini auctores laudant *Craconem*, qui tamen idem Rex est Vandalorum Rugiensium, auctor familiae Mekleburgicae, et primus in linea Principum vel Regum Rugiae, quos Chronicon Gottwicense aliique vocant *Ruthenos* et *Ranos*. Linea haec vna eademque erat cum Vandalis Megalopolitanis. Sed deficientibus successoribus linea Megalopolitana cum Pomeranica terras diuisit. Exinde patet, duces Megalopolitanos Pomeraniae et Rugiae, vna ex stirpe esse Principum mox Vandaliae, mox Venedorum promiscue, et pro lubitu, nuncupatorum. *Krok* vel *Krak* verum vocem Vandalicam esse, probauimus ex eo, quod Vandali Reges plures istius nominis habuerunt. Krok vero simul Venedicam esse, nulla dubi-

dubitatio erit, cum Polonia et Bohemia eiusdem nominis Principes *Cracos* habeat. Praeterea primus habuit filiam *Vandam* vel *Vendam*, alter vero tres filias *Libussam Kassam* et *Tetkam*. Quibus rebus propositis satis nobis probasse videmur, Vandalos et Vindos eiusdem nominis Reges et Principes habuisse.

§. VI.

DE TITVLIS PRINCIPVM VANDALIAE.

I. Ad duces Megapolitan.

Vandalorum Regum titulus maxime competit familiae ducum Megapolitanorum; qui, auctoritate omnium scriptorum historiae Vandalicae vera illorum Regum sunt progenies. Conferantur hac de re auctores, si placet, infra scripti, ex quibus patebit, non populi tantum Vandalorum magnam partem, sed gentem etiam Regiam in eis prouinciis remansisse, et adhuc esse superstitem. Sunt autem qui sequuntur.

1) *Ernesti Kirchberg* Chronicon Meklenburgense rhythmicum anno 1378. conscriptum, editum in monumentis ineditis *Dom. de Westphalen* Tom. IV. p. 593. seqq.

2) *Dauid Chytraei* Vandalia, quae est *Krantzii* ab anno 1505. ad annum 1585. Continuatio Vitembergae 1586. fol.

3) *Nicolai Marschalci* Chronicon. it. Vitae Obotritorum, it. Annales Herulorum et Vandalorum et reliqua eius historiae Meklenburg. opera edita in citat. Monumentis *ineditis Dom. de Westphalen* Tom. I. p. 166. seq. 562. seq, Tom. II. p. 1502. sqq. p. 1544, sqq.

4) *Bernhardi Latomi* Genealog. Chronicon Meklenburgicum conf. anno 1610. et edit. in iisdem monumentis ined. Dom. de Weſtphalen. Tom. IV. p. 1. ſeq.

5) *Ioh. Friderici Chemnitii* Chronicon Megalopolenſe ſ. vitae Regum Vandalorum, Herulorum, Slauorum et Obotritorum, abſolutum anno 1683. Manuſcriptum 2. vol. fol. Epitomen ex hoc opere vide ap. *Dom. de Weſtphalen* in monumentis ineditis Tom. II. p. 1615. ſeqq.

6) *Ioh, Henrici Kluuerii* deſcriptio Ducatus Meklenburgenſis, (Liber Germanicus) Editio nouiſſima, cura *Iargouii* aucta et emendata. *Hamburgi* anno 1738. vſque ad 1742. Pars prima vſque at ſextam 8vo.

Chemnitio ducis Megapolitani Archiuario occaſio non deerat, ex fontibus hauriendi. Incredibili induſtria optimos hiſtoriarum ſcriptores, et antiquiſſima tabularum publicarum monimenta nouerat. In vniuerſum vero, et praeſertim, tabulis publicis deſtitutus ſecutus Genealogiam a ſuis anteceſſoribus confectam, Chronicon Megalopolenſe ſumma cura et ſine vllo partium ſtudio eonfecit. Quis igitur meritas laudes ei denegauerit? Omnes qui poſt eum hiſtoriae Megalopolitanae ſcribendae operam dederunt, vbique eius Chronico vtuntur. Quare dolendum eſt, hoc *Chronicon* impreſſum non reperiri et rariſſime occurere.

In tanta operum vtiliſſimorum frequentia, poſt *Schroederi Vngnadii Gerdeſii Poetkenii* et Weſtphalii in monimentis colligendis labores, tot hiſtoriae fontibus apertis, ſperare licet, fore vt prodeat olim hiſtoria Megapolitana pragmatice et correcte ſcripta.

Ceterum fatendum eſt, Hiſtoriam *Frankii* luculentiſſimis et praeſtantiſſimis monumentis inſtructam eſſe, et copio-

sae doctrinae, magni ingenii, subtilis iudicii in rebus Grammaticis laude commendari, eumque prima laturum sine dubie fuisse, modo a partium studio sibi temperare, praeconceptasque opiniones potuisset exuere. Sed in multos patrios historicos haec teprehensio cadit, ideoque mirari nemo debet, peregrinum auctorem primum locum obtinere.

Quod vero attinet ad Genealogias in tabulario repertas, omnes illas huc attulissem, si modo vna, approbata a Principibus ipsis, auctoritatem haberet. Seruantur autem in tabulario duae mappae, quarum vna composita fuit a Dauide Chytraeo Professore olim Rostochiensi, et impressa per Lucium Siebenburgen ao. 1578. sic inscripta:

„*Serenissimorum Illustrissimorum Principum et Domi-*
„*norum ducum Megalopolensium Genealogia ex pro-*
„*batis monumentis documentisque.*„

Incipit ab *Anthyrio* finiturque in duce *Vlrico*, familiaque adeo est Gothica. Altera Genealogia hoc titulo insignita est.

„Genealogica Serenissimorum ducum Meklenbur-
„gensium ab Anthyro vsque ad Christianum Ludouicum
„primum, e variis, praeprimis opere Chemniciano abso-
„lutissimo carptim eruta et duci Christiano Ludovico
„primo ab Emanuel Blok oblata.„

Ad Genealogiam etiam faciunt duo Epithaphia, a duce Vlrico in templo Cathedrali Gustrouiensi extructa, impressaque in libro, qui inscribitur *Gustaui Thielen* quingentorum annorum aetas Ecclesiae Episcopalis Gustrouiensis p. 110.

Chemnitius, fatendum est, primum meretur locum: quia Genealogicas tabulas suas emendauit et auxit ex vetustis monimentis, diplomatibus in tabulario seruatis et optimis

auctoribus. Sed Genealogica eius tabula non fuit impressa. *Nettelblattii* tabula cum *Chemnitiana* optime conuenit. Bucholzianum autem opus locupletatum nominibus vxorum Regiarum et Principum foeminarum, a Chemnitio ne in iis quidem temporibus discedit, quae Chemnitius ex diplomatibus illustrauit. Eius igitur Genealogia inter omnes, quas impressas habemus, maxime excellit.

Ad foedera Polonorum cum ducibus Megalopolitanis illustranda haec imprimis pertinere videntur.

1) Instrumentum foederis inter Vladislaum Cracoviae, Sendomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiauiae, totiusque Poloniae ducem, nec non heredem Pomeraniae ex vna, et Reges Daniae Sueciae Norregiae, nec non Principes Rugensem Slauiae et Mekleburgensem ex altera parte initi, de mutuo sibi contra hostes praesertim Brandenburgenses praestando auxilio d. d. Cracouiae 1315. 5. Calend. Iun.

2) Foedus defensionis mutuae caussa initum inter Sigismundum Regem Poloniae et Henricum ducem Megalopolitanum, nec non Georgium et Barnimum, duces Stetinenses et Pomeraniae contra hostes, nominatim Ioachimum Electorem Brandenburgensem, magnumque ordinis Teutonici in Borussia Magistrum, eorumque foederatos, vbi simul conclusum fuit, vt transfugae ab vtraque parte suis dominis traderentur. d. d. Petricouiae d. S. Priscae 1525. &c.

3) Redintegratio foederis inter Megalopolitanos et Polonos d. d. 22 Ianuarii 1356. qua occasione duci Iohanni Alberto Megalopolitano permissum fuit, vt quotannis in Podolia aliquot millia boum emeret.

Notandum hic maxime videtur Latine Principem Vandalorum, dici plerumque qui Germanice *Fürst der Wenden*

den dicatur, nonnunquam tamen titulis latine scriptis adiectum legi Principem Henetorum.

Cum reliquae omnes antiquae Venedicae familiae extinctae fuerint, nimirum Dalmatiae Seruiae Croatiae Poloniae atque Bohemiae; haec dei beneficio per numerosam celebrium Principum seriem ad nostra vsque tempora fuit propagata. Nihilominus tamen regius Vandaliae titulus, desiit per raram concordiam Canuti et Sventopolki, Henrici filiorum. Quanquam enim Lotharius Saxo Imperator anno 1128. titulum Regis Obotritorum concessisse fertur S. Canuto duci Slesuicensi; tamen obseruauit *Cl. Remerus*, argumento ducto ex consangunitate eius Imperatoris cum familia Megapolitana, regnum Obotritorum non Lothario imperante, sed posteriore aeuo regnante Conrado III. et Friderico, id est in nepotibus Pribislai II. apud duces Megalopolitanos desiisse; id quod clarius infra patebit.

II. Reges Poloniae.

Quoniam ordinem Chronologicum seruare constituimus, iam nobis de Regibus Poloniae, dicendum est. Etiam nunc illud Epitaphium in Cathedrali Ecclesia Posnaniensi legitur, quod anno 1025. scriptum est.

„*Hic iacet Boleslaus Rex . . . . Vandalorum seu Polonorum.* Monumentum hoc diligenter considerandum est: probat enim, Polonos esse Vandalos, Vandalos vero esse manifeste Slauos, quia Slaui sine discrimine se appellant Vandalos et Venedos. Legitur enim *Vandalorum seu Polonorum.* Hoc etiam ostendit *Kadlubz* a) his verbis: „ Ipsa denique Vanda a Vandalo Vandalorum, id est Polonorum siue, Lechitarum progenitore nomen accepit.

Nihil

a) p. 4.

Nihil autem auctori et lectori iucundius esse potest, quam si sententiam propositae rei monumentis certis probari posse, videt; eiusmodi adhuc aliud ad manus est, idque auctoritate ecclesiae traditum. Seruauit nobis in praefatione operis su *Matthias Miechouius* peruetustam formulam orationis publicae antiquitus in templis Regni Poloniae festo D. Alberti a Sacerdot. cantatae; verba haec sunt: *Iam Benedic Dominum Regem cunctorum conuersa gens Vandalorum:* „Nempe est pars pentametri . . . *iam benedic dominuur* sequitur Hexameter; *Regem cunctorum* &c. Quod genus rhitmorum Seculi X. XI. XII. esse videtur.

III. Reges Daniae.

S. Canutus, quo ad vixit, magis sanctitati morum, quam rapinis et spoliis operam dedit; nihilominus tamen a Magno Patruele vt, in historia traditur, latrone et parricida spoliatus ao. 1130. Valdemarus, eius filius, quam diu vixit, id est vsque ad annum 1184. cum Vandalis omnium historicorum testimonio bella gessir. Eius fillus Valdamarus II. anno 1200. titulum Regis Vandalorum primum accepit, deficiente Pribislai II. linea. Inde ex eo tempore Daniae Reges hunc titulum ad nostra vsque tempora seruarunt.

IV. Reges Sueciae.

Quantum patet ex rerum gestarum historia, Vandalos vnquam in Suecia fuisse, ignoramus, aliunde vero venisse, in fine quaestionis de eorum migrationibus liquebit. Alium igitur iuris titulum quaerere oportet, qui Sueciae Regibus titulum Regis Vandalorum dederit. Gustauus Rex Sueciae, filius *Erici Trolle* Regis creati trucidatique, ad Vastenas habuit omnium suarum prouinciarum comitia

iam

jam anno 1521. Hinc Rex Gothorum Suecorum Vandalorum Stregnaesii die 6 Iun. 1523. solemniter fuit designatus. Inde et ex Rugia Vismaria &c. titulus successoribus nouus accessit.

V. Reges Borussiae.

His quidem multis ex causis Vandalorum Regis titulus jure competit. 1) Si enim Vindili et Vandili iidem sunt, vt argumentis demonstrari potest, iis vt Prussorum Regibus debetur. 2) Marchia Vandalica Ducatus Megalopolitani olim fuit; ergo conuenit ei tamquam Margravio (Marchioni), tamquam Electori magnaeque istius Regni partis possessori. 3) Accessione Magdeburgici Burggrauiatus, vbi ob viciniam Megapolitanarum sedium, Vandalici regni centrum assumi fere potest.

Id vnum addendum est, quotquot scimus familias sumsisse Regum Vandalorum titulum, quarum nulla praeter Megapolitanam et Polonicam antiquam Slavica fuit: earum nullam se dixisse Vendorum, sed omnes Vandalorum Reges.

§. VII.

ETYMOLOGIAE DIVERSAE NOMINIS VANDALORVM ET VENEDORVM, ATQVE FLVMINVM.

Si constanter ab omnibus Vandali appellarentur, Vandili, vt ab antiquissimis Auctoribus, *Iornande, Procopio, Vopisco, Zosimo et Suida* vocantur; Venedi autem, vt a *Plinio* a) Vindeli, a *Nubiensi* iidem Vindili, ab *Helmoldo* Vinuli appellarentur, et Vandali, teste *Bertio*, sic in Itinerario

a) pag. 139. 140. et p. 249.

rio Antonini appellati, Vandali qui et Vindeli et Winili supra *Bojohaemum:* a) quisnam esset, qui non eos pro vno eodemque populo habendos putaret, vna tantum littera diuerso? Praesertim cum sedes iis eaedem in Baltici maris littore tribuantur, fluuiique eam regionem rigantes, et, vt aiunt, nomina antiqua retinentes, ad vnum omnes Slauicis sint insigniti nominibus, e. g. Vista, Varta, Odra, Pina, Stupnica, Billa, Warna, Nateez; quae nomina, certissime Germanica non sunt. In Vendica lingua autem quodlibet nomen eorum significationem habet, naturae et proprietatibus cuiusque fluminis accommodatum. Quare in Venedico idiomate, Etymologia rerum, vt ita dicam, loquitur.

Iam diuersas, quae in medium prolatae sunt, nominis Vandalorum Etymologias silentio premam. Cum enim nimis taediosum sit hoc disquisitionum genus et summo fastidio lectorem afficere posse videatur, breuitati operam daturus sum. Qui Vandalos Germanos esse dicunt, *Vandali* vocem ex Germanica voce *Wandeln, vagari,* vel *vagabundum* b) esse deducunt; iustissima quidem derivatione, si modo probari posset, Vandalos Germanice esse locutos; tum enim probabiliorem adduci posse desperarem. Praeter ea vero, quae jam dixi, et quae a nemine vllo argumento refutari possunt, exinde etiam debile huius Etymologiae fundamentum liquet, vocis, inquam, *Wandeln*, quod Analogia, quam finxerunt. Venedici Slauorum nominis deriuatione ex voce item germanica *Wenden,* quod idem vagari significat, solummodo nitatur. Quis autem sanus populi cuiusdam nomen ex lingua plane peregrina deducere velit? Fac autem

a) *ante Lit. E.*

b) *Colerus in not. ad Tacit. c. 46.*

tem, antiquos Germanos hos *Wandeln*, id est Vandalos, illos *Venden*, siue Venetos appellauisse, ab indole horum populorum appellatione congrua desumta: manifesto inde sequitur, Germanos ipsos facere non potuisse, quin Vandalos a Venedis, vel vt accuratius loquamur Vandilos a Vindelis separarent; vnde sequitur Vandalos eandem gentem fuisse, cum Venedis.

Praeterea etiamsi Vandali vagabundi appellantur, nullibi tamen legimus, Germanos Nomades fuisse: „Quomo-„do a) namque fieri potest, vagos ita famosos esse, vt ab eis „certum auxilium Romano Imperio peteretur? Quomodo „sub vno Duce tantus numerus colligi potuisset, qui tot „regnis occupandis sufficeret, nisi prius leges, Principes „et regulas politicas habuisset, quibus, populus obediret; „namque vagabundus populus facilius colligi potest, quam „regi, et quemadmodum breui tempore confluerет, ita „etiam forte minima occasione dispergeretur. Forte His-„pani, Italique Scriptores id minime siluissent, ut cum „alia in contemtum gentis scripserint, hoc vnum minime „omitterent; cum autem de potentia et variis expeditio-„nibus Vandalorum, Regimine in Italia, Hispania, Ger-„mania et Africa apud Historicos clarae sint et frequen-„tissimae narrationes; illas hic commemorare superfluum „judico.„

Ex his igitur argumentis, quod nomina sibi valde similia sint, probatissimi antiqui Auctores eos semper pro vno populo habuerint, vtraque gens, littus vnum idemque maris Balthici occupauerit et ad Vistulam vsque se extenderit; satis nobis videtur constare, quid sit sentiendum. Cum vero ad mare habitauerint, et ad tot fluuios,

 supra

a) *Kleczewski Sarmatia Europea p. 165.*

ſupra jam memoratos; ſequitur, vt piſcibus maxima ex parte vitam ſuſtentauerint, vnde etiam antiqui has nationes appellarunt Ἰχθυοφάγους (Ichthyophagos;) Hamum autem, quo ad piſces capiendos vtimur, Vendi vel Slaui vocant *Wanda*, ſeu pro lubitu, aut dialecti diuerſitate, *Wenda*. Quod Varroni *Hamiota*, formatione Graeca ab Hamis eſt, ὁρμιηβόλος, ὁρμευςής, ἀγκιςρευτὴς graece; id Slauice *Wandarz*, vel *Wendarz*, dicitur. Quod *Ciceroni* eſt, *eſca piſcibus capiendis*, graece δέλεαρ, Venedice eſt *Wandny* vel *Wendny* pakarm. Nulli autem rei melius aut magis ex natura id Etymon conuenire videtur, quam Ichthyophagis: quo poſito, nec ex binis linguis, nec ex peregrinae nationis lingua fit deriuatio, ſed omnino ſitui vitaeque generi antiquo harum gentium plane conſentanea eſt.

Auctores noſtri Reginam olim aliquam *Wandam* dictam, ob pulchritudinem à multis Principibus deſideratam fuiſſe narrant; exteri etiam ſcriptores tradunt, eam Hami modo trahere in ſui amorem. Sed de Etymologicis jam ſatis. Nihil, enim vt puto, magis ſterilitatem alicuius materiae prodit, quam nimia partium abundantia earumque nimis copioſa tractatio. Reuera autem quisque fatebitur, minime congruam eſſe Etymologiam Vandalorum a *Wandeln, ſeu peregrinando,* ſiquidem *Iornandes* vt ſupra dixi, narrat, *Berig* Regem Gothorum ſubiugaſſe, et e regionibus Viſtulae eieciſſe Vandalos. Tum igitur iam, quanquam nulla adhuc migratione ſuſcepta, tamen nomine Vandalorum fuerunt inſigniti, quod ſine omni dubio ab alia plane cauſa, quam a migrationibus deducendum eſt. Quae autem conuenientior cauſſa, quam ab eorum vitae genere deducta, et ex patrio ſermone ſumta, in medium afferri poſſit, non video.

Etymo-

Etymologiam vero nominis *Venedorum*, cum *Vandalis* pro vno habendi, vt apparebit, ex lingua Slauonica, id quod nos agimus, petendam eſſe; argumento eſſe poteſt, quod Scythicae originis eſſe iſtas gentes plane negatur. Teſtimonium hiç adducamus *Vlrici Hutteni*, quod in appendice ad *Taciti* Germaniam, impreſſo Vitebergae per Ioſephum Clug anno 1538. inuenitur, et licet amplis, tamen ad clariorem ſenſum neceſſariis verbis ita effertus: „Ptolemaei a) „deſcriptione moueor, et ipſa appellationis vetuſtate, vt „Vandalos gentem Sarmaticam eſſe, exiſtimem, quos vo„camus *Vuenden*. Nec mirum eſt, etiam antiquiſſimis „temporibus Sarmatas, qui ſaepe mutare ſedes ſolebant, „in viciniam effuſos, Germanis admixtos eſſe. Sunt au„tem variae illius vnius gentis appellationes, quarum ali„quae ſono non multum diſcrepant; Venedi, Fenni, Van„dali, alibi Slaui vocantur. Vniuerſam hanc gentem, ab „*Henetis* ortam eſſe judico, quos Herodotus affirmat ex „Aſia egreſſos in Illyrico conſediſſe. Ab his Henetis et „ora Italiae Venetia dicta eſt. Egreſſi autem vel ex Illyri„co vel ex ipſa Aſia compleuerunt vicina loca ad Septen„trionem, vbi nunc ſunt Poloni. Quare adhuc aliquid „humanitatis Aſiaticae referunt, et plurimum differunt, „figura corporum, ingeniis, moribus, victu a vicinis „Scythis, cum quibus perpetua bella geſſerunt. Nequa„quam igitur illis aſſentior, qui affirmant, ſeu Polonos, ſeu „Vandalos, ſeu Venedos, ſeu Slauos Scythicam gentem eſſe, „ſed ab Henetis propagati regnarunt, et in Illyrico et in „Sarmatia et reſpublicas magno conſilio conſtituerunt. „Magna eorum in re militari induſtria, magna virtus eſt, „nec deeſt eis ſcientia domi regendae reipublicae, in Im-

 „periis

a) *ante Lit. E.*

„periis justitia et aequitas, amor religionis et pudicitiae,
„in pactis fides; ingemia habent sane graecum quiddam
„referentia, eo, quod in Asia vicini Ionum, in Illyrico
„Graecorum fuerunt, disciplinarum capacia et inprimis
„arguta. Colunt studia litterarum, etiam nobiles, earum-
„que cognitionem in laude ponunt, et magno sibi vsui
„esse in rep. ducunt. Quid cogitari dissimilius naturae
„Scythicae aut Tartaricae potest, quam haec sunt, quae
„recensui? Credamus igitur his argumentis, quae testan-
„tur Venetos ab Henetis ortos esse. Et admodum proba-
„biles coniecturae sumuntur, a nominibus et linguis.
„Hic et nomen et lingua congruunt cum gentis illius in Illy-
„rico appellatione et lingua. Quare eadem origo est. Dicun-
„tur Autem Heneti Antenore duce, ex Asia educti esse.„
Idem Auctor postea cum de Bohemis loquitur: a) „Dixi
„autem supra, ait, Henetos non esse adnumerandos feris et
„Scythicis gentibus. Nam origo est Asiatica, vbi inter
„humaniores gentes nati cum essent vicini Ionum refe-
„runt eorum humanitatem. Itaque Heneti, qui nunc te-
„nent Bojemiam non cedunt virtute veteribus colonis.„

Verosimilis autem videtur esse haec originis Venedo-
rum et Slauorum adeoque et Vandalorum ratio. Obiici
quidem nobis possit, quomodo, si hanc sententiam ad-
optemus, nostram, quam supra dedimus, Venedorum no-
minis ἐτυμολογίαν defendere queamus? Sed non multum
difficilis ea res videtur. Si enim *Venedi* ipsi ex Paphlago-
nia primum orti: etiam lingua Venedica seu Slauica ex Pa-
phlagonia, nec id sine ratione erit, deriuanda. Ab hamo vero
in Paphlagonia non minus vocari potuerunt Venedi, (H. pro
V. sumto, de quo infra) quam ad mare Balthicum, cum
et

a) Lit. B. IV.

et ibi ad mare Euxinum et piscosa consederint flumina. Quod a Graecis primum Eneti dicti fuerunt, et deinde Heneti, id ideo fieri potuit, quia in Graeca lingua littera V, omnino non inuenitur, adeoque ab iis primo neglecta, postea per H. tamquam similem litterae isti spiritum expressa fuit, donec a posterioribus Graecis per Ou, et a Latinis per V latinum, quod respondet Venedico, restituta est. Per Tau vero a Graecis pronunciari, quod per Delta efferri debebat, nemini mirum esse potest, cum litterae vnius organi a Graecis saepissime commutari soleant. Sic ἑστία Vesta, οἶνον vinum et sexcenta.

Venedos ad mare Balticum ortum habuisse ab Henetis, Asiatica gente, inde multo verosimilius redditur, quod *Immanuel Weberus* ait: a) „Iuuat ad septentrionales po-„pulos et eos maxime, qui Scandinauiam inhabitarunt, „primum exspatiari, in quam Asiae populos aliquos pro-„no per Bosporum Thracicum traiectu in Europam per-„ductos, tandem se infudisse, ac cum regiones istae homi-„num multitudini amplius non sufficerent, ductis inde „per diuersa temporum interualla coloniis, successiue alias „atque alias terras, denique et Germaniam nostram occu-„passe, communis fere sententia est.„ Quid mirum Henetos etiam ex Asia venisse ad ripas Vistulae, Scandinaviae ex aduerso oppositas.

§. VIII.

EX GEOGRAPHIA.

Sunt Auctores, qui Vandalos esse indigenas Baltici maris accolas affirment, innixi auctoritate *Taciti*, qui eos Germanos appellat. Antequam vlterius indagemus hanc quae-

a) pag. 15.

quaestionem; ad Gothorum migrationem recedendum erit, quia occasione hujus migrationis prima eorum fit mentio, eorumque situs definitur. *Iornandes.* a) „Ex hac „igitur, ait, Scanzia insula, quasi officina gentium, aut „certe velut vagina nationum, cum Rege suo nomine „*Berig*, Gothi quondam memorantur egressi: qui vt pri„mum e nauibus exeuntes terras attigere, illico loco no„men dederunt. Nam hodie illic, vt fertur, Gothiscantia „vocatur. Vnde mox promouentes ad sedes Vlmerugo„rum, qui tunc Oceani ripas insidebant, castra metati „sunt, eosque commisso praelio propriis sedibus pepule„runt, eorumque vicinos *Vandalos* jam tunc subjugantes, „suis applicuere victoriis.„

Inde quidem sequitur, Vandalos tunc temporis ad ostia Vistulae vsque coluisse eosque a Gothis fusos victosque fuisse. Quomodo autem hoc fieri potuerit, si diceremus, Vandalos fuisse ejusdem nationis, eadem lingua vtentes, ideoque non minus Germanos, quam Gothos ipsos? Prima enim. quam de vtraque gente eorumque gestis habemus notitiam, eos nobis inter se bellum gerentes ostendit, et docet, Gothos fictitiorum suorum popularium auctores, eos, vsque ad internecionem persecutos esse. Videmus Gothos eripientes victis fratribus patrimonium, suumque in ruderibus fraternae haereditatis regnum erigentes, adeo, vt vna Vandalorum pars cogeretur versus Maeotidem concedere; cum altera pars versus Albim confugeret, id, quod paulo inferius examinabimus. Mirandum autem esset, vnde huius regionis, quae vltra mare nigrum est, notitiam habuissent, nisi inde ex iis regionibus primum aduenissent, vt eandem rem de Vandalis nobis historia refert. *vid. Carion. Chron.*

Patet

a) pag. 11.

Patet et inimicitia Gothorum cum Vandalis ex excerptis *Olympiodori* in Bibliotheca *Photii*, a) atque Tomo I. corporis Byzantini edit. Venetae: „Vandali „Gothos Trulos appellarunt, quod hi fame enecti aliquando „tritici trulam a Vandalis aureo vno redemerint; trula „nondum tertia pars sextarii.„

Iornandes narrat, *Tilimerum*, quintum post Berig, Gothorum Regem Vandalica relicta, in easdem regiones habitatum concessisse Dicere possemus Vandalos eum persecutum esse, tanquam inimicos sibi capitales. *Procopius* b) equidem nos docet, Hunnos transgressos Tanaim Gothos ibi lacessiuisse; „Vandalis iam tunc „inde digressis.„ Ex hoc loco confirmari potest, quod supra diximus, Vandalorum partem a mari Baltico vsque supra Paludem Maeotidem fugisse.

Hornius, c) *Heningius* d) aliique Germanici historici narrant, eos sub Visumaro seu Visimir progressos fuisse ad Paludem Maeotidem, *Henningiusque* praeterea refert, relictis nouem fratribus et nominatim Radagasto I. (Radagast) Vandalos a Maeotide Palude versus Daciam recessisse. Id saltem adfirmari pro certo potest, quod Chronicon *Eusebii* refert, M. *Aurelio Antonino* cum Marcomannis bellum gerente, Quados *Vandalos* Sarmatas, Sveuos totamque barbariem iis fuisse adiunctam. Nominat igitur Vandalos, Sarmatas, quasi vnum tantum populum; id quod paulo inferius considerabimus. Vt vero ad rem reuertamur, *Marcus Antonius* eorum victor euasit, idque accidit ao. 174. Iam tum igitur temporis Romani primum cum Vandalis habuerunt discordias.

Quod

a) p. 150. b) L. IV. C. V. p. 574. c) p. 170. d) p. 28.

Quodsi vero septuaginta et sex circiter annos post, id est medio fere tertio saeculo, legimus in *Dione Cassio* a) Vandalos ipsos a fontibus Albis Balticum mare versus coluisse, id quod *Paulus Diaconus* in historia Longobardorum confirmat b) nonne argumentum firmissimum habemus eius, quod iam dixi; partem tantum Vandalorum Gothis ad mare Balticum vicinam supra Maeotidem confugisse, et postea secundum *Iornandem* Daciam occupasse? Nam qui remanserant et Albim accolebant circa annum 250. limites suos et sedes ad fontem Albis adhuc habebant. Quo *Vralius* non attendit, dum sibi persuadet, montes Giganteos id est *Riesengebürge*, (vnde Albis oritur, si non in ipsis Vandalis oritur, vt ait *Cl. Seuerini*;) c) esse in Silesia, non vero in Bohemia, versus *Oppauiam*, (rus quoddam priuati in limite Bohemiae) et oppidum *Landshut*; quae duo nomina genuine sunt Slauica. Si enim forte de nomine Landshut dubitetur, *aliud eiusdem nominis* in Polonia ad Iaroslauiam est, vti puto, a *Lan*, *stadii mensura*, et *cudz*, *peregrino*, denominatum.

Postea elapso fere saeculo vno, alteroque dimidio, capitales Vandalorum inimici, Gothi, eos amplius in Dacia tranquillos sedere non passi; sed *Geberig*, Gothorum Rex denuo coepit Vandalos persequi, Quam rem vt clariorem certioremque reddamus, totum *Iornandis* locum exhibebimus. „Is d) (ait) Geberichus primitias Regni sui, „mox in Wandalica gente extendere cupiens, contra „Visumar eorum Regem, Asdingorum ex stirpe, quae „inter eos eminet, genusque indicat bellicosissimum, „*Dexippo*

a) *Hist. Rom. lib.* 55. *ab initio*; *tempora Dionis ante annum* 250.
b) *Lib. I. c.* 2.
c) p. 166.
d) p. 62.

„*Dexippo* historico referente. Quo tempore erant in eo „loco manentes, vbi Gepidae sedent, iuxta flumina „*Marisia* Miliare et Gilfil, et Grissin, qui amnes supra „dictos excedit. Erant namque illis tunc ab oriente Gothi, „ab occidente Marcomanni, a septentrione Hermunduri, „a meridie Hister, qui et Danubius dicitur. Hic ergo „Vandalis commorantibus bellum indictum est a Geberich „Rege Gothorum ad littus praedicti amnis Marisiae, vbi „tunc diu certatum est. Sed mox ipse Rex Vandalorum „Visumar magna cum parte gentis suae prosternitur. „Geberich vero ductor Gothorum eximius, superatis „depraedatisque Vandalis, ad propria loca, vnde „exierat, remeauit. Tunc perpauci Vandali, qui euasis-„sent, collecta imbellium suorum manu, infortunatam „patriam relinquentes, Pannoniam sibi a Constanstino „Principe expetiere, ibique per XL. annos plus minus „sedibus locatis, Imperatorum decretis vt incolae famu-„larunt. Vnde etiam post longum tempus, a Stilicone, „Magistro militum et exconsule ac patricio inuitati, „Gallias occupauere, vbi finitimos depraedantes non adeo „fixas sedes habuerunt.„

Vnus hic locus certe nobis ostendit, situm trium gentium tunc temporis trans Danubium in colentium, inter quas medii erant Vandali, Daciam habitantes. *Maros* flumen, antiquis *Marusius* in Transiluania ortum, secat, versus Valachiam et Moldauiam, totam prouinciam, et ad Segedunum influit Tibiscum. Denuo igitur videre licet, Vandalos a *Geberico* iterum oppressos, quos odium Gothorum taediumque coegit, vt rursus illorum viciniam fugerent. Cum vero sibi non satis virium esse viderent, spe noua vltionis, asylum apud potentissimos Romanos quaesiuerunt. Quilibet hic mirabitur, *Iornandem* supra

dictas nationes omnes Germanicas enumerare, Vandalos tamen non item Germanos appellare, cum tamen *Tacitus Iornandi*, quippe qui eum saepius laudet, ignotus plane non fuerit: Quomodo autem potuisset *Iornandes* eos appellare Germanos, cum *Eusebius* Constantini Magni temporibus, ideoque vno fere et dimidio seculo *Iornande* superior, contrarium affirmauerit? Quae ratio statim patebit ex sequentibus.

Ex eo, quod narrat, Vandalos ante Gebericum fixas sedes habuisse, vagabundos non fuisse; deinde ex eo, quod accidit anno Christi 333. secundum *Hieronymum*, Chronicon Anonymi, et Idatianum. Sed verba omni attentione digna grauissimi huius Auctoris ipsa addenda videntur. „Sauromatas (Vandalos) Deus ipse pedibus „Constantini subiecit, viris barbarica mente insolescenti-„bus hoc pacto mancipatis. Cum enim Scythae (Gothi) „contra eos (Vandalos) insurgerent, Seruos (Iazyges) „armarunt Domini (Vandali) ad vlciscendum se de hosti-„bus. Quoniam vero Serui (Iazyges) victores euaserant, „scuta sua contra Dominos leuarunt, ac cunctos sedibus „suis pepulerunt. Hi vero (Vandali) nullum alium prae-„terquam solum Constantinum salutis portum repererunt. „Hic tanquam salvandi gnarus, omnes eos in Romanam „terram Pannoniam suscepit et ex iis idoneos inter milites „suos delegit, reliquis vero, vt haberent, quae ad victum „sunt necessaria, agros ad colendum diuisit: ita, vt cala-„mitatem a seruis acceptam bene sibi cecidisse confiteren-„tur, vt qui barbaricam feritatem Romana libertate „commutassent.„ Inde concludere licet, Romanos auctores, qui Vandalos, seu Gothos, seu Germanos putant, magnam notitiam eorum, quae vltra Danubium fiebant, non habuisse, vt ipse *Strabo* et *Plinius* ingenue fatentur, et

contra

contra Conſtantinum vel ſcriptorem vitae eius melius ſcire debuiſſe, cuinam genti aſylum dederit. Id quod clariſſime etiam confirmat *Antonius Bonfinius*: a) „Vandalos, „(ait) et Burgundiones, qui e Vandalis prodiere, vnam „ex quinque interioris Germaniae gentibus *Plinius* affirmat. „His Sveuos proxime collocat . . . . Sed in his gentibus „facta mutatio. Nam Vandali a gentis flumine nominati, „paulo poſt eos, quos Stilico in Gallias concitauit, patria „profecti ſe Slauos appellarunt.„ Quod ad verba *Iornandis* quibus, conſulto laudatum eius locum finiui, attinet; nimirum „non adeo fixas ſedes habuere; ex iis duo liquent, primum, nec omnes Vandalos in Pannonia manſiſſe, ſed in patriam regreſſos eſſe, non habentes, cur Gothos amplius metuerent, longe iam inde remotos; deinde, nec ipſos, qui manſerant in Pannonia, vltra quadraginta annos hoc Aſylo vſos eſſe. Quod vero *Iornandes* ait, eos poſt longum tempus a Stilicone euocatos; hoc poſt tempus ſeptuaginta annorum demum factum eſt. Tradit autem Hiſtoria, Radagaſtum II a Stilicone fuiſſe inductum, qui popularis huius Principis, vel potius ei ſubiectus erat, quem legimus fuiſſe Vizimiri nepotem, filiumque Micislai. Ex verbis ſupra poſitis *Iornandis* clariſſime patet, hos Vandalos, qui in Pannonia aſylum quaeſiuerunt, Reges illic non habuiſſe; etenim famulabantur: „ſiquidem perpauci Vandali„ vel vt ſequens auctor ait, in exercitum immixti, aliis agri ad colendum diuiſi &c. Vnde ergo Radagaſtus Rex euocatus eſt a Stilicone, cum tam potenti numero niſi ex patria?

Sed ex hac inter Gothos et Vandalos inimicitia, quam ex ſupra dictis cognoſcere licuit, iudicet quis, an *Bangerto* facile fuerit, probare, Vandalos, partem Gothorum,

 neſcio

a) *Edit. Lipſ. Dec. I. l. 2. p. 46.*

nescio quo tempore fuisse. Nonne potius debuisset, auctore *Helmoldo Veneto* vel *Vaudalo* natione, dicere, ne guttam quidem Gothici sanguinis in Vandalis vnquam fuisse?

Anno circiter 405. Corcigo vltor paternae necis perfidiose perpetratae, ad montes vsque Pyrenaeos omnia deuastauit. Anno 407. adhuc duos principes Vandalos inuenimus, qui more parentum, nomina habuerunt, vt ita dicam, ex Slauonismo deducta; *Krok* nimirum, seu Crocum et *Goidisk* (Goidiscum) qui iuxta *Vasaeum* petierunt Hispaniam, et de quibus plura in paragrapho de Regibus legere licet. Duo autem hic tantum obseruabimus; vnum, duo haec nomina esse Slauica, et omnes principes Vandalos non solum in patria, sed et in Pannonia, tandemque in Hispania Africaque ex Slauica lingua desumta habuisse nomina. Quis enim haec duo nomina *Krok* nimirum et *Goidisk* non statim pro Slauicis habenda putet? alterum quod obseruari potest, hoc est, Vandalos semper suas retinuisse prouincias, secundum plurimorum scriptorum ipsiusque *Procopii* testimonia, de qua re separatim nobis erit loquendum. Iam venimus ad occupationem Hispaniae et traiectum in Africam. Hactenus constanter Lectori ostendimus summum Gothorum contra Vandalos odium, cuius et Chronicon *Isidori* a) mentionem facit, et quod alii multi scriptores confirmant. Adducere possemus testimonium de hoc capitali odio *Iohannis a Sudetis*, qui magnam eorum, quae in regionibus ad Albim gesta sunt, notitiam habuit, vel *Pauli Diaconi*: sed finiamus demonstrationem odii Gothorum quo Sauromatas Vandalos persecuti sunt, ipsius Gothi testimonio; *Iornandes* nimirum nobis narrat Gothos, si eis

a) p. 235.

eis fortuna paulo melius arrisisset, effecturos id fuisse, quod semper tentauerant, vt Vandalos non solum ex Hispania, sed et ex Africa eiicerent. Sed ipsa Auctoris verba in medium proponemus. „Athaulphus (ait) in Gallias ten„dit: vbi cum aduenisset, vicinae gentes perterritae in „suis se finibus coeperunt continere, quae dudum crude„liter Gallias infestassent, tam Franci, quam Burgundio„nes. Nam Vandali et Alani, quos supra diximus per„missu Principum Romanorum vtraque in Pannonia resi„dere, nec sibi ibi ob metum Gothorum arbitrantes tu„tum fore, si reuerterentur: ad Gallias transiere. Sed „mox a Galliis, quas ante non multum tempus occupas„sent fugientes, Hispania se reclusere, adhuc memores „ex relatione maiorum suorum, quid dudum Geberich, „Rex Gothorum genti suae praestitisset incommodi, vel „quomodo eos virtute sua patrio solo expulisset. Tali ergo „casu Galliae Athaulpho patuere venienti. Confirmato „ergo Gothis regno in Galliis, Hispanorum casu coepit „dolere, eosque deliberans a Wandalorum incursibus „eripere.„ At multo grauiora sunt, quae exhibet idem Auctor paulo post: „Vallia a) quidem Rex Gothorum „adeo cum suis in Vandalos saeuiebat, vt voluisset eos etiam „in Africam prosequi, nisi eum casus, qui dudum Alarico „ad Africam tendenti contigerat, reuocasset.„ Iam vtiusque gentis mutua inimicitia in clarissima luce posita videtur: timeo tamen, ne mihi quis obiiciat, fratrum quoque gratiam raram esse.

Pergamus in Geographia interioris regionis explicanda, a cuius tractatione migrationes populi cum ducibus suis nos non potuerunt abducere. Constituimus obseruare quaedem, a materia nostra, non aliena, vnde liqueat,

a) p. 95.

liqueat, antiquissimis Geographis historicisque Vandalos Venedosque vnum eundemque populum visos esse. Firmissimum quidem huius rei argumentum est, quod *Ptolomaeus* a) Venedos ad fontes et ostia Vistulae collocet, neque postea Vandalorum mentionem faciat; quem quidem situm, *Iornandes* b) suis etiam temporibus iis tribuit. Refert etiam *Tacitus* in Germ: a Sarmatis Germanos, montibus, et mutuo metu separari. Si igitur Vandali ad fontes Vistulae, qui ex montibus Sarmaticis effluunt, habitauerunt, iam tum ad Sarmaticas gentes pertinuerunt, quod etiam *Carionis Chronicon* c) probat: „Vandali, quibus subiiciuntur Burgundi, Varini, Carini, „Guttones, tenuerunt sedes Polonorum ad Vistulae caput, „et montes, quos *Ptolomaeus* Sarmaticos nominat.„

Cum autem sciamus, vixisse Ptolemaeum sub Imperio Antonini Pii et Marci Aurelii, id est circa aunum Christi 170. et Epitomatorem eius seculo duodecimo exeunte, supraque iam dixerimus, hunc vltimum imperatorem de Vandalis anno 174. egisse triumphum: quisnam affirmare audeat, ignotos fuisse *Ptolemaeo* Vandalos? Aurelius enim, teste *Eusebio*, per quatuor annos sese ad bellum contra barbaras gentes gerendum parauit. Impeditus autem fuit morte Veri priuigni, quem bello praeficere voluerat, quae anno 171. accidit, adeoque ipse solus coactus est ad illud administrandum; post trium igitur annorum bellum anno 174 teste *Eutropio* de illis triumphauit. Ex his ergo, habita etiam ratione aunorum, quibus floruit Ptolemaeus, supra memoratorum, liquet ei notos fuisse ex fama Vandalos; nihilominus tamen; nullum inter Vandalos et Venedos discrimen fecit.

Addamus

a) L. II. c. 11. et L. III. c. 5. b) p. 16 c) p. 296.

Addamus hic locum ex Chronologia *Herodoti* per *Dauidem Chytraeum* confecta, vbi haec traduntur: „Ex „Scythia, vt *Iornandes* a) loquitur, innumerae gentes „prodierunt, Getae, Gepidae, Massagetae, Alani, „Antae, (quorum in titulo institutionum *Iustiniani* mentio „fit) Sveui, Daci, *Winidae, seu Vandali*, Bulgari, Hunni, „Turci, quos in hoc Herodoti libro *ιὕρκας* (Iurcas) vocari, „consentaneum est.„

Proximum prope Vistulam flumen fuit *Viadrus*, nam fontes vtriusque fluminis non solum non longe distant, sed etiam prope Skoczow traiecta Vistula, Oderam statim et vno quasi passu traiicere oportet. Auctores nobis narrant, populum, qui multo inferius et infra Spream, prope hunc fluuium habitauerit, Vandalorum partem fuisse.

Si hic attendamus ad locum *Bertii*, magnum inde duci potest argumentum Slauicae Vandalorum originis; dicit enim ille: b) „Senonum Germanorum siue Sveuo„rum meminit quoque *Velleius*, *Peucerus* Sorabos esse „putat, eorumque nominis vestigia exstare in Sorber, „Seruesta, Seruesteyn.„ Melius vero *Helmoldus* in Chronico Slauorum narrat: c) „Vbi ergo Polonia finem „facit, peruenitur ad amplissimam Slauorum prouinciam „eorum, qui antiquitus Vandali, nunc autem Winithi, siue „Winuli appellantur. Horum primi sunt Pomerani, „quorum sedes protenduntur vsque ad Oderam. Est autem „Odera ditissimus amnis Slauicae regionis, et oritur in „profundissimo saltu Marahorum, qui sunt ab oriente „Bohemiae, vbi et Albis sortitur principium.„

Hoc

a) p. 150. b) p. 174. c) c. 2. p. 5.

Hoc omnino non negabimus, sed statim obseruabimus horum populorum Venedorum et Sveuorum vicinitatem. Vistula enim Venedice *Wista*, significat fontem, vel aquam pensilem, quae erumpit ex monte ad locum quendam, dictum Bialagora (mons Albus) et Odra, quae latine dicitur Odera, est denudans ripas, quae sunt mera verba Slauica. Quid mirum itaque, si apud *Casparum Peucerum* et *Petrum Bertium*, Sueui sunt Slauis annumerati? Hic praeterea obseruandum occurrit, *Odram* antiquis et Viadrum dici; Sveuis ergo ipsis hoc nomen venit ex Venedico, nam *Wiadro* significat *Haustrum* vt vocat *Lucretius*, non vero recentiores recte dicunt, Sveuum Odram dictum fuisse. Nam Sprea est Sveuus, ab illis olim dicta *Sprowa*, quo nomine in Polonia et vrbem et fluuium Sprowam dictum habemus. Tertius fluuius est Albis, nam alius nullus inter Viadrum et Albim interfluit. Ad huius fluminis fontes diximus iam ex *Dione Cassio* et *Paulo Diacono* habitasse Vandalos. Quodsi a Ptolemaeo Albis appellatur *Dewona*, a) vt obseruat M. *Altingius* in Epist: Tabulae *Ptolemaei*: certo nobis persuadere possumus, Vandalos Venedice esse locutos: nam *Diwona*, vel etiam Dewona significat, aquam, quasi mire immensam. Namque haec significatio in Slauica etiam lingua remanet, vt Russis *Diwo*, est *mirum*.

Illi, qui affirmare conantur, Vandalos fuisse Germanos, et tamen vident eos Venedica lingua esse vsos, eo tantum confugiunt, vt dicant, illos, qui ex Vandalis in illa ad Viadrum regione remanserunt, cum a Venedis subacti essent, ab iis linguam didicisse, vt Gothi ab Italis. Sed vbi tandem huius opinionis argumenta exstant? et quisnam ille victor in historia nuncupatur? quonam tempore

a) p. 2.

tempore facta est migratio? et quomodo subigi potuerunt, serie tamen Regum Vandalicorum continuata? Comparatio vero illa, (vt a Gothis Itali,) conueniens non est. Linguae enim latinae vestigia non solum in Italica, sed et Romanica lingua in oculos incurrunt; nec ipsa latina lingua in Italica hodienum plane extincta est, quanquam a barbaris sit corrupta. Nec omnis eius corruptio a Gothis venit, sed iam inde a Ciceronis temporibus ad Theodoricum vsque maximas iam perpessa erat mutationes. Praeterea meminerint, Procopium dicere, Iustiniani adhuc temporibus milites Romanos in Pannonia latine esse locutos.

§. IX.
DE AVCTORIBVS PRAECIPVIS.

Ego quidem contendo, veteres scriptores vel nullum plane inter Vandalos et Venedos posuisse discrimen, vel si eos classibus septentrionalium gentium ex suo ipsorum arbitrio factis, discreuerint: ordinem descripsisse notitiae, quam de his gentibus habebant, non conuenientem, sed maxime incommodum. In eo tamen satis probe egerunt, quod ingenue fassi sunt, dubiam infirmamque istarum rerum scientiam: quomodo enim aliter facere potuissent, cum illarum gentium commercia fugerent, eosque vt barbaros timerent potius, odioque prosequerentur, quam magni facerent. Nec historia certa eorum populorum esse poterat, qui tunc temporis coelum sedesque et regiones mutabant, vt hodie, qui peregrinantur, quotidie alio hospitio vtuntur. Praeterea etiam diuersae gentes saepe sese coniungebant, sociatis non solum armis et animis, sed moribus etiam et vitae genere, vt sese contra validissimos Graecorum Romanorumque exercitus defenderent. Quae

res effecit, vt plures nationes pro vna haberentur; quem admodum vidimus in historia Vandalorum, qui cum saepius a Gothis subigerentur, necessitate coacti, saepe cum victoribus coniunctim agebant. Videmus inde, quid induxerit Procopium, vt Vandalos suo tempore, Gothorum partem diceret; id enim licet rerum euentu esset verissimum, tamen non efficit, vt hi populi origine non fuerint maxime diuersi.

Iam turba adfluit commentatorum sectantium laconismum; et multae res dubiae et obscurae, in auctoribus antiquis occurrentes! Licet vero meliores quidam egregie explicarent veteres: mediocrium tamen scriptorum maior turba, rebus, quas volebant illustrare, maiores induxit tenebras. Neque id mirandum est, quod necessario a rudi illa diuersarum et pugnantium opinionum mole prouenit, quam hodie magis accumalatam videmus. Etenim si qua editio optima nuncupatur, non ideo statim iudicandum est, reliquas ex omni parte pessimas esse. Inde enim fit, vt nos quasi in partes distrahamur, si inter commentatores eligendum est; quisque enim eorum suos habet sectatores. Optimamne quis appellare voluerit editionem, dum adhuc in illustrando auctore eodem laboratur? nam hoc modo posterior editio saepe corriget eam, quae antea optima habebatur.

Exempli causa, in Germania et in Francia, quantum scio, iam magna diligentia adhibetur in *Tacito* illustrando. Quodsi autem D*itmari* editio satisfecisset viris eruditis: certe vltra nemo hac in re laboraret. Sed ipso in initio explicandaque prima *Taciti* periodo, *Ditmarus*, quibus perturbationibus agitetur, satis manifestum facit. *Tacitus* a) enim ita librum de moribus Germanorum orditur: „Ger-

a) p. 1.

„Germania omnis a Gallis Rhaetisque et Pannoniis Rheno „Danubioque fluminibus, a Sarmatis Dacisque mutuo „metu et montibus separatur.„ Videtur mihi haec oratio *Taciti* clarissima et satis more eius concisa, politica interpretatione non indigere, sed potius opus habere conciliatione cum Geographis *Plinio, Strabone* et *Ptolemaeo.* Contra ea in illis verbis: „a Sarmatis et Dacis mutuo „metu et montibus seperatur.„ mutuus metus statim agitat *Ditmarum.* Addit adagium vernacula lingua vsitatum, quasi Romanis eadem sint prouerbia, quibus Germani vtantur; quae ad vlteriorem explicationem profert, vbi montes desint, mutuo populos hos separari metu, ea regionum situm valde mutant, et limites Sarmatiae nimis extendunt. Nam primo hac ratione quaedam affirmat, quae Tacitus non dixit; secundo planos campos adesse ait, vbi nemo, qui regionem nouit, tales inueniet. Nam, si planities adesse supponatur, alia esse non potest, praeter eam, quae superato monte Stellarum (Sternberg) duobus ab Olmutio milliaribus distante, inuenitur, et tunc necessario oporteret confiteri, Sarmatas in Silesia habitasse, et ad montes vsque Sudetes, aliis Giganteos dictos, adeoque ad fontem Albis vsque pertinuisse. Hi autem montes, teste *Dione Cassio,* Vandalos ab aliis populis separabant, ex quo sequitur, Vandalos ea aetate Sarmatis, vel tribui eorum accensitos, quemadmodum hoc iam superius est ex priscis Geographis probatum.

Tacitus vero ita pergit: „Quidam autem *licentia „vetustatis* a)plures Deo ortos pluresque gentis appellationes, „Marsos, Gambriuios, Sveuos Vandalicos, (alii legunt, „Vandalios) affirmant, eaque (esse) vera et antiqua no-

a) p. 14.

„mina. Caeterum Germaniae vocabulum, recens et nu-
„per additum.„ Videmus *Commentatorem*, non operae pretium putasse, hunc locum illustrare, qui tamen respectu Vandalicae nationis, omnino erat illustrandus. Cum vero in ea inquirimus, quae Germanici Scriptores hac de re senserint: inuenimus, *Melanchthonem*, aut, si placet, *Peucerum*, a) leui hunc historiae cognitione imbutum virum, emendare sententiam *Taciti;* eumque hac in re temere locutum accusare, vt liquebit ex hoc loco: „Etymon (ait „ille) vocabuli, quod putem esse, recitaui antea, sed „quae de Gambriuio Sueuo et Vandalo, *Berosus* et *Tacitus* „commemorant, repudio.„ Subticuit autem *Ditmarus* ad hunc locum, vel quod nec Vandalos à Teutonibus, nec Germanos a Vandalis venisse, auderet affirmare, vel quod videret, a Tacito ipso haec pro fabula haberi, id quod ex ipsius *Taciti* b) verbis clarissime patet, cum ait: „Quidam, „autem licentia vetustatis,„ vel vt e recensione *Gronouii* lego: „Quidam, vti in licentia vetustatis.„ Sufficiat jam dixisse, dubiorum, respectu Vandaliae gentis oecurrentium multitudinem, argumento esse, eum non temere Vandalos dixisse Sarmatas.

Vandalos et Sarmatas etiam *Hieronymus* junxit epistola ad Ageruchiam: „quidquid inter Alpes, (aiens) et Py-
„renaeum est, quod Oceano et Rheno includitur, Quadus, „Vandalus, Sarmata, Alani, Gepides, Heruli, Saxones, „Burgundiones, et o lugenda respublica, Pannonii hospi-
„tes vastarunt.„ Itaque haud dubie Zosimus ita intelligendus est, vt Vandalos designare videatur, licet nomen non eloquatur. Sic enim libro tertio: „Cum videret „(Constantinus) Quados cum Sarmatis magna licentia et „secu-

a) pag. 297. b) pag. 373.

„securitate per Pannoniam, perque Mysiam superiorem „grassari. „

Sed ad finem examinandae *Taciti* historiae properantes, veniamus jam ad illum notatu dignum locum, qui luce clarius ostendit, *Tacitum*, coactum fuisse, vt fateretur, solidam hac de re notitiam se non habuisse. Totum locum, quo facilius de eo judicare liceat, in medium adducemus. a) „Peucinornm Venedorumque et Fennorum „nationes Germanis, an Sarmatis adscribam, dubito; „quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, „sermone, cultu, sede ac domiciliis vt Germani agunt; „sordes omnium ac torpor procerum, connubiis mixtis, „non nihil in Sarmatarum habitum foedantur. Venedi „multum ex moribus traxerunt. Nam quidquid inter „Peucinos Fennosque syluarum ac montium erigitur, la„trociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius „referuntur, quia et domos figunt, et scuta gestant, et „pedum vsu ac pernicitate gaudent, quae omnia diuersa „Sarmatis sunt, in plaustro equoque viuentibus. „ Multa in hoc loco sunt dubia, incerta, et inter se pugnantia. Nam ab initio dubitat, vtrum Venedi sint Germani, an Sarmatae. Persuadere mihi autem non possum, temerariam esse hanc *Taciti* dubitationem; credo potius fuisse, qui id dicerent, sed ipsum nondum ausum pronunciare, quia justa deessent argumenta. Siquidem *Snorro* eosdem Fennos et Aestios vocat Vanos et Voenos, quae nomina propius ad Vendorum vel Vandalorum nomina, quam ad alia accedunt.

Dum de Sarmatia loquitur, populum ibi constituit plane peregrinum; ex quo coniici potest, eum etiam de Vene-

a) pag. 284.

Venedis tanquam fidum interpretem locutum. Id vero minus ei ignosci potest, quod Venedos dixerit, sermone, cultu, sede ac domiciliis vt Germanos agere. Hoc statim vnicuique ostendit, Germanos *non satis*, Venedos vero *plane non* nouisse *Tacitum*; mirandumque est, illum, hac dubitatione sublata, in fine Venedos ad Germanos retulisse. Melius sane fecisset, si in dubitando perseuerasset. Inquirenti autem mihi, quae Commentatores eius ad hunc locum habeant, occurrerunt apud *Ditmarum* verba haec: „Errasse vero non solum Tacitum, sed et alios „omnes, qui Vandalos cum Venedis confundunt, atque „illos origine Germanos, hos autem Sarmatas fuisse, jam „dudum docuerunt.„ *Bangertus* a) *in Notis ad Helmoldi Chron. et Schurtzfleischius in Differt. Hist.* Hoc quidem verissimum est, Venedos nullo modo Germanos fuisse; alterum vero, nempe Vandalos et Venedos diuersos populos fuisse, probatum non est, nec facile probari poterit, imo ex eodem *Taciti* loco, videmus, eos pro vno eodemque populo habitos fuisse. Inde sequitur, *Ditmarum* subruere auctoritatem *Taciti*, nam propterea, quod hic scriptor ipse in definienda Vandalorum origine haeret, nihil aliud in *Tacito*, inueniemus, vnde probari possit, Vandalos, Sarmatas non esse.

Occurrit etiam locus *Taciti*, quem ex *Blondo* affert *Krantzius*, b) quia, vt addit, historiam *Taciti* integram hodie non tenemus. Is locus plane dicit, Vandalos, qui postea Burgundiones dicti sunt, ad 80000. armatos, vlteriores ripas Rheni, hoc est nostri lateris (a Germania) insedisse, quos Drusus et Tiberius Caesares post subactam interiorem Germaniam in sedes proprias repulerunt. „Ergo „sedibus

a) C. II. p. 9. b) T. I. C. 21.

„sedibus suis Vandali longe ante haec tempora egressi . . .
„addit *Krantzius.* Patriae autem Vandalorum sedes fuere
„Sarmatiae latissimi campi: quorum latera etiam hodie
„tenent Russiam, Poloniam, Bohemiam. „ Hic locus si
fuit omnino *Taciti*, jam facile componi potest illa disputatio. Occupauerant belli virtute partem Germaniae; itaque *Taciti* tempore pro gente Germanica haberi poterant, ab iis, qui sedes illorum patrias ignorabant.

Firma certe *Bangerti*, et *Schurtzfleischii* auctoritas non est, cum non solum scriptores sint nimis recentes, sed antiquiorum ipsis etiam opponi possint testimonia, eorumque adeo, qui Chronica, non vero Dissertationes scripserunt. Ex horum numero est *Bonfinius*, qui cum de Slavis loquitur, dicit diserte. a) „Quin et Vandali eodem
„glossemate, scilicet Slauico vtuntur, qui sub Genserico
„Rege Hispaniam, deinde Africam occuparunt, quorum
„reliquias Vindelicos Saxonibus conterminos plerique
„tradidere. „ Plane haec videmus convenire cum vocabulario paruulo, quod speciminis caussa collegi, quodque consulere licet ad firmandam *Bonfinii* opinionem. Schurtzfleischio autem eiusdem gentis opponamus scriptorem, *Carionem*, qui in Chronico, b) dicit: „Non dubito autem,
„Vandalos ex Heneta stirpe esse, sed credibile est, cum
„vicini crebra inter se bella gesserint, Heneti et Germa-
„ni: vsque ad recentia tempora, alias alios victores fuisse,
„et partem Henetorum linguam et leges Germanicas ac-
„cepisse. Eam partem existimo Vandalos a *Plinio* nomi-
„nari. „ Idem *Cario*, Stiliconem ex gente Heneta vel Veneda ortum esse dicit, Gothis inimica, quem Stiliconem plurimi auctores dicunt fuisse Vandalum, docetque hac re,

a) pag. 123. b) pag. 243.

re, Vandalos et Venedos vel Henetos esse eosdem. Verba vero eius haec sunt: a) „Erat autem Stilico ortus ex „gente Heneta, inimica Gothis. Ideo contra Gothos et „Francos attraxit in Galliam Burgundiones, Sueuos, Ala„nos, et alias gentes littori Baltico vicinas. Hae fuerunt „occasiones bellorum Gothicorum et Vandalicorum, qui„bus in occidente imperium dilaceratum est. „ Ex his à me adductis auctorum locis, puto equidem apparere, nobis auctoritate *Taciti* non esse ereptam potestatem statuendi, Vandalos Sarmatas fuisse, cum hoc ipsum, quod dubitat, et repetit dubitationem, satis doceat, non sine ratione eum dubitasse.

Tacitum jam *Plinius* excipiat. Ab eo vero, qui hac in re grauissimus est, *Plinii* loco initium faciam. Et licet semper, iis, qui Vandalos Sarmatas dixerunt, hic locus est oppositus; tamen eum videbimus, pluribus subjectum esse interpretationibus. Dicit *Plinius* „Germano„rum quinque sunt genera; Vindili, quorum pars Bur„gundiones, Varini, Carini, Guttones. „ In voce Vindili, quilibet majorem videbit similitudinem cum Vinitis aut Vinulis, qui Venedi erant, quam cum Vandalis *Taciti*; cuius vocis nulla plane est similitudo cum Vindilis *Plinii*. Atque adeo facilius cuique fuerit, credere, Vindilos esse Vindelicos, quam Vandalos.

Mirum est, cum vterque *Plinius*, avunculus et nepos tempore *Taciti* vixerint, et junior *Plinius* commercium litterarum cum *Cornelio Tacito* habuerit, ex quo apparet eos aequales fuisse; *Plinium* tamen Vandalos, quos finxerunt apud illum intelligi, non vt *Tacitum* Vandalicos, sed Vindelios dixisse. Vtrum hoc ideo factum est, quod *Plinius*

a) pag. 227.

nius paululum eo poſterior fuit prioribus ſcriptoribus, an ideo, quod melius nouerat Vindelicos Rhaetorum vicinos, an vero quod vterque auctor Vandalos pro vna habuit gente?

Audiamus interim illuſtrem *Comitem Bünauium,* a) auctorem hiſtoriae imperii, qui ſententiam ſuam de Vandalis ita exprimit: „Quod Vandali Sueui fuerint, inde de„ducere volunt, quia Burgundiones Varini et Guttones „inter eos fuerunt numerati.„ Ideo vero, quod plures gentes ſub alterius fortioris poteſtate ſint, et eius nomine comprehendantur, non ſequitur, eas eſſe eiusdem originis. Hiſtoria enim multa ſimilia exempla nobis prodidit, maxime vero in oculos incurrit exemplum Attilae, qui cum Germaniam Franciamque vellet in poteſtatem redigere, callide in partes ſuas trahere alias gentes ſciuit: „Traxit enim, ſi non in conditionis ſaltim praedae opis„que communitatem, Arcadium Gepidarum et Valami„rum Oſtrogothorum Reges, Sarmatas, item Quados, et „Marcomannos et Scyrros, et Herulos, et Rugos, et alias „gentes ex quibus ſeruitia quoque in numerum exercitus „recipiens, magnum modum legionum effecerat.„ Sunt haec verba Cl. *Seuerini* in Conſpectu Hiſtoriae Hungaricae: b) Minime tamen ideo *omnes hi populi Hunni fuerunt,* ſed vt plerumque fit, quando certa notitia regionis diſſitae non eſt, illa ſecundum veroſimilitudinem et opinionem noſtram conſtituitur. Quod vero ſpectat ad Etymologias Vandalorum et Sueuorum, quae ſibi ſimiles eſſe dicuntur: *Comes Bünauius* dicit, vt debebat, *creditur!* quia doctiſſimus Vir certo ſciebat, aliam vere eſſe diuerſam, quam ſine dubio legerat in *Tacito*, qui dicit, Sueuos ap-

 pellatos

a) P. I. L. I. p. 39.

b) pag. 29.

pellatos fuiſſe a crinibus in nodum collectis, quos gerere ſolebant. Quis igitur non videt, Etymologiam Sueuorum a vagando ſumtam, ideo fuiſſe excogitatam, vt veroſimiliorem redderet conjunctionem Vandalorum et Sueuorum per linguam Germanicam, illosque Germanos fuiſſe oſtenderet.

Nunc ad *Plinium* reuertamur, vt Scriptorum auctoritate nixi, monſtremus, qui nam ipſius vere ſint Vindeli: Scriptor nationis Germanicae diſerte dicit nobis, Vandalos non eſſe. Doctiſ. nempe *Wympfelingius* a) in Epitome Germanorum ait, oratione *Plinii* vſus: „Germani quinque „conſtant generibus, Vindelico &c.„ Auctor hic doctus non dubitauit reiicere Vandalos, idque ideo, quod Vindelici, populus olim celeberrimus, potius ad Germaniam pertinere videretur, quam Vandali, a fonte ad oſtium Viſtulae in Sarmatia habitantes: idque eo magis, quod auctoritas Ptolemaei ſecundum explicationem, ſupra a me exhibitam, eos ſemper Sarmatas appellantis, effecit ſine dubio, vt hic auctor in verum *Plinii* ſenſum penetraret. An vero *Wympfelingius* in hoc loco ad *Carionis* ſententiam reſpexerit, id quidem affirmare non poſſum. Nobis vero eius auctoritas maxime commoda eſt; nam quaſi ipſi plane de hac re perſuaſum eſſet, ita loquitur *Cario:* b) „Non „dubito autem, Vandalos ex Heneta ſtirpe eſſe; credibile „eſt, cum vicini crebra inter ſe bella geſſerint, Heneti et „Germani, vſque ad recentia tempora alias alios victores „fuiſſe, et partem Henetorum linguam et leges Germani„cas accepiſſe; eam partem exiſtimo Vandalos a *Plinio* „nominari. Cum autem linguae diſcernant gentes, facile „intelligi poteſt, aliam eſſe gentem Henetam, aliam Teu„tonicam.

a) pag. 317. b) pag. 243.

„tonicam. Et adhuc in eo littore gentes quaedam Hene-„ta lingua loquuntur. Et arbitror, non recens, in ea lo-„ca venisse Henetos, sed olim cum Getis et Dacis „paulatim progressos esse.„ Et *Bonfinius* a) certe tantum aberat, vt Vandalos Germanos crederet, vt potius ipse profiteretur, verisimilius esse, Vandalos venisse a Vindelicis, quam a Germanis, qua quidem in re plane *Wumpfelingius* consentit cum *Bonfinio*. In Chronico *Carionis* vero tres magnos historicos laborauisse scimus. Primus fuit *Ioh. Cario*, cuius nomen huic libro recte inscribitur, alter *Philip. Melanchthon*, et tertius *Caspar. Peucerus*. Mirum certe esset, si neuter erratum tantum vidisset et correxisset, cum nec denotatio temporis, nec duorum posteriorum annotationes ad hunc locum desint. Deinde puto, tres Auctores natione Germanos, passuros non fuisse, vt gens ab iis detraheretur, quae tantum mali fecit, tantumque famae acquisiuit. Sed secuti sunt hac in re *Helmoldum*, scriptorem ex ipsa hac gente oriundum, *Adamum Bremensem*, et *Albertum Krantzium*, qui et ipse Vandalus fuit.

Hic autem silentio praeterire non possumus, quae de Burgundionibus accepimus, quod nempe ii pars Vandalorum fuisse dicuntur; quod quidem credere nobis licet, ob coniunctionem, quae inter has duas gentes semper intercessit. Nec tamen ideo Germani fuerunt, quos nec Vandalos fuisse, jam demonstratum est. Si ad auctoritatem *Ptolemaei* respicimus, qui non solum auctores, aetate sua antiquiores, nouerat, sed et de rebus sui temporis satis solidam habebat notitiam: inuenimus primum Burgundiones ab eo inter Sueuicas non numerari nationes; dein-

a) pag. 214.

de quando de Burgundionibus loquitur, plane alium illis tribuit situm, et tandem eos aperte adnumerat Sarmatis, siue ad situm, quem iis tribuit, siue ad nationum enumerationem respiciamus. Burgundiones igitur procul à Germanis constituit *Ptolemaeus* et reuera illi in Germanorum viciniam longo interjecto tempore demum venerunt, et statim, vt videbimus, inimici eorum extiterunt.

Burgundiones vero, eiusdem *Geographi* testimonio, in Sarmatia habitabant, versus Tyram, vbi hodie Podoliae prouincia est. Quomodo igitur asserere quis audeat, Germanos fuisse hos Burgundiones, cum certissimum sit, nos neque in *Tacito*, neque in *Plinio* legere, Germaniam sese a Danubio ad Tyram vsque extendisse? Inde vero à Tyra haec gens extendit sese versus Vistulam, nec procul a capite Vistulae, adeoque Venedorum vicini erant. Id enim obseruandum est, quod, si a capite Vistulae progrediamur, habuerint Burgundiones ante se Venedos versus ostium eiusdem fluvii. Postea vero trans Vistulam progressi, in ea provincia, vbi nunc est Poznan, Kalisz, et inprimis Gesna sedes fixerunt, adeoque tum demum Vandalis vicini facti sunt. Tum demum sedes suas in Sarmatia reliquerunt; quod quomodo factum sit, inferius docebimus.

Antea vero dicendum est, nec *Tacitum*, nec *Peolemaevm*, a) Burgundionum inter Vandalos et Sueuos ipsos facere mentionem, cum tamen prior horum scriptorum eos distinguat a Cattis et aliis, qui veri erant Germani. Ratio facile patet; nam primum ostendam Burgundiones esse ex Sarmatia aduenas, deinde idem *Tacitus:* „illos adhuc nationibus nominibusque discretos, quan-
„quam

a) pag. 562.

„quam in commune Sueui vocentur, „ dicit. Si cum his disertis *Cornelii Taciti* verbis collatum fuerit silentium, quod de Burgundionibus obseruat, quis quaeso iam affirmet, Burgundiones fuisse Germanos? cum praeterea libellus eius conscriptus sit de moribus Germanorum, adeoque de gentibus germanicis, et tamen frustra ibi quaesiueris Burgundiones inter Sueuos vel etiam Vandalos. Quomodo vero fieri potuerit, vt Burgundiones a *Tacito* inter Germanos ponerentur, cum *Ptolemaeus, Tacito* aetate posterior, illos ad caput Vistulae adhuc collocet; quod vero eos appellauit Phrugundiones, id ignoscendum est Graeco Auctori, qui, aut I. pro P. saepissime assumebat, vel apud quem pro F. saepe occurrit Ph.

Luce clarius igitur videmus, Burgundiones Sarmatas fuisse; sed post tempora *Taciti*, atque *Ptolemaei*, eos Sueuis annumeratos, et vti ipse superius commemoraui, Vandalorum vicinos fuisse.

Hac autem occasione, velut obiter, quid legerim, depromam; nempe in *Petri Bertii* mappa, quae ex *Tacito* et *Plinio* confecta est, vbi Sueuos collocat, ibi addi: *Seu Slauos.* Sed et Chronicon *Carionis* eadem habet; quae tamen res a proposito nostro aliena est.

Ad Varinos jam transeo, quos *Plinius* a) dicit, esse populum vnum ex Burgundionibus, et hos *Ptolemaeus* vocat Auarinos, eosque circa Cracouiam constituit, id, quod optime conuenit cum situ, quem idem Geographus Burgundionibus tribuit, quemque jam supra indicaui. Non video autem, quomodo simul quis credere possit Burgundiones esse Germanos, cum haec regio vera sit Sarmatia, sedesque Venedorum Vandalorum et perinde etiam Burgundionum.

a) Lib. III. C. 5.

gundionum. Sed quam diuersos omnia haec ostendant Vandalos et Burgundione, ab origine Germanica: non satis perspexerunt recentiores auctores et nominatim *Cluuerius.* Quam infirmis enim nituntur argumentis ad vindicandos Germanis Vandalos, Burgundiones et Varinos, seu Auarinos, cum *Tacitus* vna tantum vice Vandalorum mentionem faciat, eosque etiam inter fabulas summae antiquitatis releget. Quid vero ex *Plinio* demonstrabunt, cum nemo sciat, quinam sint eius Vindili? Nam, vt supra dixi, quilibet Vindilos eius ex opinione sua interpretatur, et plerique commentatores Plinii, pro ea natione, ex qua ipsi orti sunt, eos habent. Quidam enim eos Vindelicos dicunt, id quod bene probasse me puto; alteri Vandalos; quae vero sententia summis difficultatibus laborat, ob diuersas Burgundionum sedes, quae tamen semper in Sarmatia fuerunt; alii tandem Venedos esse affirmant, suffulti auctoritate *Ptolemaei* Geographorum Principis. Tertius etiam auctor *Cluuerius,* isque recentissimus systema Geographicum suum per Burgundiones et Varinos euersum doluit, tribus eorum sedibus assignatis Burgundionibus, qui quidem semper in Sarmatia sedes habuerunt, licet in regione diuersa, Podolia nempe, Cracouia et Posnania. Reliqui omnes igitur auctores debebant relinquere Vandalorum et Burgundionum ferocissimas gentes, Sarmatis, ad quos recte referuntur; quanquam *Tacitus* Germanos melius saepe non habeat. *Vary* vero praeterea vox est Vandalica, vel Venedica, de quibus sub Gottonibus dicturus sum alia.

Carini adhuc supersunt, etiam Burgundionum tribus. Moneo tantum, Carinos inter nos scribi debere Karinos, gentemque inter doctos satis notam silentio praetereo. *Kary* vero, (id quod praeterire nequeo) Vandalice

dalice vel Venedice, adeoque et Burgundice, cum Carini eorum pars ſint, ſignificat *currum*, Cracouiam, quam in illis, eodem ſitu, quem hodie habet, *Ptolemaeus* conſtituit, vocat *Karodunum* a *Kary*, currus, et *dunum* confluentia, vti Diuidunum. Puto vero, cum Cracouia ſita ſit, inter Iſtulam et Radunium fluuios, cumque in *Ptolemaeo* aliud Karodunum inueniam verſus Leopolim, et Podoliam, id meam ſententiam, quod Burgundiones ex Podolia verſus Cracouiam progreſſi ſint, valde confirmare.

Vbi ſermo eſt de tam antiqua gente, nihil quidem omitti poteſt, quod ad melius illuſtrandam eius originem et vlteriores progreſſus facere poſſit. *Ammianus* ad nobis de Burgundionibus mira refert ſub tempora Auguſti; is vero ſcriptor veritatis magis, quam elegantiae ſtudioſus, eo iam tempore nullam Burgundionum feciſſet mentionem neque eos ad Auguſti tempeſtatem retuliſſet, niſi aliquo fundamento fuiſſet nixus. Ideo tantae fidei auctor monet nos, Burios, Sarmatas, idem, quod Burgundiones eſſe, idque hauſiſſe videtur ex *Ptolemaeo* et *Tacito*, quia Sarmaticae gentes ſub Auguſto Romanis iam cognitae fuerunt. *Florus* a) enim ad annum ante Chriſtum natum 25. adeoque ante Auguſti tempora „Sarmatae (ait) „patentibus campis inequitant, et hos per Lentulum pro„hibere Danubio ſatis ſuit. Et *Dio Caſſius* poſt tredecim inde annos, eosdem cum Romanis belligeraſſe, narrat; „nam poſt M. Lollium, inquit, b) C. *Lucius* contra Sauro„matas bellum gerens victos trans Iſtrum repulit.„

Sed redeamus ad Burios vel Burgundiones, qui Germanos ſe eſſe dixerint, eadem plane fraude qua Vandali vtebantur

a) *Hiſt. Rom. l.* 4. *c.* 22. b) *hiſt. Rom. l.* 54. pag. 749.

vtebantur, cum Pontifici Gregorio aſſererent, ſe Germanos eſſe, vel vt latrocinia obtegerent, vel vt Romanos fallerent, qui Germanorum fortitudinem nouerant, vel quia reuera ex Germania veniebant, quem coacti neceſſitate, forſan peragrauerant. Idem vero *Ammianus*, vbi de alia Burgundionum tribu ſub Valentiniano I. et ad annum 373. loquitur, in vniuerſum ait, eos relicta patria (Polonia nimirum, id eſt Sarmatia) nouas ſedes fixiſſe in Bohemia et Morauia (Marcomannia) vnde non multum ante annum ſupra memoratum, nouarum ſedium cauſa transgreſſi ſint ad Salam, quae Moenum influit, vbi ſemper cum Alemannis de fontibus ſalis pugnaverint. Fidem habere oportet huic auctori, qui ipſe expeditionis in Germaniam ſuſceptae ſocius et comes, adeoque ocularis teſtis: „Valentinianum, quem ſecutus fuerat, „Burgundios, ait, a) in eorum (Alemannorum) „perniciem excitaſſe„ et multo poſt addit, „Salinarum „finiumque cauſa cum Alemannis eos iurgaſſe.„ Quae ampla narratio ſatis perſpicue oſtendit, Burgundiones origine Sarmatas fuiſſe, atque etiam in Bohemia coluiſſe, ſaepeque manus conſeruiſſe cum Alemannis, id, quod diuerſam vtriuſque gentis originem demonſtrat. Praeterea autem auctores ſunt, qui voce *burgum* innitantur, Burgundionibus vſitata, atque, vti aiunt, Germanicam originem prae ſe ferente. Sapienter vero *Schurtzfleiſchius* argumentum hoc reiicit, probatque, frequentiſſime hanc vocem in iis etiam regionibus occurere, quo nunquam penetrarunt Burgundiones, et plurimarum familiarum nomina in *burg* exire, quae tamen originem a Burgundionibus non traxerint. Video alium ſcriptorem, *Sebeſtianum Dolci* b) in eadem ſententia eſſe, qui claſſicorum

a) Lib. 28. b) pag. 15.

rum ſcriptorum auctoritate fretus, Sarmatas Burgundiones eſſe, opinatur et auctumat *burgum* latino ſermone dictum, efferri debere *Brieg*, qua voce Sarmatico-Venedica lingua, *litus* aut *ripa* exprimitur. Probat hoc exemplis vrbium Myſicarum, Hiſpanicarumque, vnde credi poteſt, apud reliquas etiam Sarmaticas tribus in vſu fuiſſe. Burgundiones enim neque in Myſia, neque in Hiſpania vnquam fuerunt. Iam vero ex iis quae dicta ſunt, apparet. *Burgum* a latinis, vt ſaepe fit, mutilatum, ſeu male ſcriptum, deformatumque eſſe, pro *Buryum*, id eſt ſedes *Burium*, litteramque g, poſitam eſſe pro y; ſiquidem omnes ſcriptores fere fateantur, Burios Burgundiones praepoſtere eſſe dictos. Sed Burgundiones relinquo, antequam Rhenum tranſierint, id eſt circa annum 411. et 412. nec vlteriores eorum progreſſus curo; duae tantum res memoratu dignae videntur nempe celebris montis *Iurae*, qui poſtea Burgundionum limes fuit, nomen vocem Sarmaticam eſſe. *Iura* enim et *Iurliwy* apud nos ſignificat *Iram*, iracundum; deinde nobiliſſimum annalium Burgundicorum ſcriptorem *Guilielmum Paradinum* a) Burgundiones Vandalos eſſe Venetos, opinari.

Vltimi iam Burgundionum ſequnter *Guttones*, *Gittones* ab aliis, a *Tacito* b) Gotones et Gothones vocati, a *Ptolemaeo* c) recentiore ſcriptore ſub Venedos poſiti, ex quo ipſorum *eorumque, inter quos degebant* ſitu, facile intelligitur, Venedos et Vandalos vnam a dicto Geographo gentem, vt et a *Plinio Tacitoque* haberi. Nam ſi *Gedanum* ſeu *Gotanum* a Commentatore *Plinii* (in vſum Delphini) Guttonibus e Burgundionum genere, recte tribuitur

a) *Lib. I. p. 4. edit. Lugdun.*
b) *L. II. annal. p. 61. et morib. p. 13.*
c) *Ptol. l. III. c. 5.*

buitur; ſequitur, Vandalos quorum pars Burgundiones erant, cum Venedis eandem regionem tunc tenuiſſe; ſi. quidem oſtium *Iſtulae* a *Ptolemaeo* non ſinum *Codanum ſeu Gotanum*, vt a parte laeua verſus Daniam appellatur, ſed *Venedicum* hoc ipſo loco videamus vocari.

Caeterum aſſentire nequeo illi, qui *Gotthones* a *Gedano* vel *Gotano* vſque ad Palatinatum *Maſouiae*, et *Varſouiae* vrbem ſeſe extendiſſe exiſtimat. Ratio eſt, quod *Ptolemaeus*, Venedos extendat vſque in Regionem, quae in conſpectu Varſouiae eſt, et quod Varſouiam ipſam nominet, in voce *Arſieua*. Praeterea enim, quod idem, quem Varſauia habet, ſitus manifeſte oſtendat, *Arſieuam* eſſe noſtram *Varſouiam*; etiam ex Venedico, vel Vandalico nomine *Varſiauae* et *Arſieuae* (ita ſolent nomina ab extraneis ſcriptoribus mutilari) apparet, Varinos vel Varſinos, eam poſſediſſe; ad quae accedit traditio, quae nos docet, hodiernam *Warszawam* vel *Varſauiam* olim vocatam fuiſſe *Warszawam*. Nam ſi *Varini* ſub *Carinis* habitabant, vt ſupra oſtendi, neceſſario ſequitur, eos medios fuiſſe inter *Guttones* et *Carinos*. Si Viſtulam a Cracouia ad Gedanum vſque ſequimur, inuenimus, Varſouiam eſſe in medio poſitam. Quae omnia ſatis luculenter probant, omnibus his gentibus fuiſſe eandem linguam; dixi enim *Warſos*, et *Varinos* antiquorum eſſe nomina Slauonica, quale etiam ſine omni dubio eſt *Warſiewa*. Sed haec ſatis dicta ſunto de Varinis, qui demum aut pulſi aut alia de cauſſa, ad illum fluuium penetrarunt, et a quibus Warnimont, (Warnemunda) Roſtok (Roſtochium) vrbes, atque fluuius *Warna* nomen accepere. Sunt enim haec nomina Slauica, vti et altera *Warna* in inferiori *Myſia*, ſeu *Bulgaria*, *qui itidem* Slaui. Verbis finiam

Carionis,

Carionis, a) qui, „*Ptolemaeus* ait Venetis Githones „Bulanes, Burgundiones et Auarinos addit.

Inde iam materiae foecunditate adducor, vt de *Gedano,* hoc in tractu loquar, quae certe Gothorum ſedes fuit. Ex *Ptolemaeo* diſcimus, eo in loco, vbi iam *Oliua,* fortaſſe etiam, vbi nunc *Gedanum* ipſum eſt, ipſius tempore fuiſſe vrbem nomine *Scorgum* aut *Scurgum.* Opportune mihi in mentem venit id, quod olim in monumentis Danicis *Olai Wormii* b) inueni, vbi refert, loca, in quibus Idola ſeptentrionalium aſſeruarentur, ſeu *Skurgudur,* ſeu *Skurgudach* dicta, mapaliis ſolum aut tuguriolis fuiſſe tecta; ipſis contra decorum eſſe exiſtimantibus, Deos tectis claudi, qui cultibus placari et maieſtatem ſuam publice adorari poſcerent. Atqui haec vox Vandalica eſt; nullam autem aliam interpretationem patitur, quam ex Slauonica lingua petitam, nam *Skor* in lingua noſtra ſignificat *codicem,* ſeu *corticem arborum,* ex quo adhuc ſolent in Ruſſia ac Poleſia tecta confici. *Skor* etiam, ſiue *Skona pellis* eſt, ex quibus mapalia et tuguriola conficiebantur. Nempe *Dach* eſt *tectum, ſkora pellis,* quia pelliti ibi verſus ſeptentrionem habitabant. Quodcunque eligas, ſemper patet, linguam vnam eſſe ſeu Vandalis vicinis, ſeu Venedis, ipſisque Gothinis; quod etiam eſt nomen pure Venedicum. Linguae tamen eius ignoratio multos turbas dedit in hiſtoria; nam qui de *Scoringa* ſcribunt, certique nihil, quod dicant, habent, ceſpitant, ob ignorantiam linguae ad veroſimilia confugiunt, et, quia Scirri gens erat, quamuis longiſſime a *Scurgo* ſita, ſecundum eundem *Ptolemaeum,* et ipſa quoque Venedicae originis: ex Scoringia formant ſuopte ingenio *Sciringam;* quod, quam male fiat, iam demonſtratum eſt.

a) *Chron. pag.* 305.
b) Lib. I. c. 2.

Finiri haec materia haud poterit, quin mentio etiam fiat regionis adiacentis, quae maltis auctoribus dedit occasionem, diuersa, nec tamen certa proferendi. *Moringia* ea est, aliis *Mauringia*, *Leibnitio Maurungania*, vel potius, vt addit ipse, *Mauringauia*, quod mihi esse videtur ex albo facere Maurum: atqui eius regionis nomen etiam nunc extat, nec opus est, vt eam versus vltimam Thulen, id quod quidam fecerunt, quaeramus. Audiamus iam quid *Cl. Eccardus* a) de Mauringia sentiat: „*Scoringia*, (inquit) „in littore Chersonesi Cimbricae dextro, a sinu „Limico ad Chalusum, siue Trauam protenso, ia„cuit; ab hoc enim fluuio (puta Traua) Mauringiam „incipere, infra ostendam.„ Omnia haec loca tribuuntur Germanis, sed ex eo apparet, quam frequentes magnosque errores linguarum inscitia producat; nam in tam paucis lineis, quatuor nomina, falso laudata, (*Eccardum* enim ignorasse linguam patet) sunt Slauica habentque propriam significationem. Supra ostendi, *Scurgum* tres posse significationes habere, sed omnes Slauonicas. Vbi igitur ciuitas iacuit, ibi regio nomen ab vrbe habuit, quam *Ptolemaeus* parum dissitam a citeriore Vistulae ripa constituit; quare eam propius versus Cimbricam Chersonesum ponere non opus est. *Eccardus* autem, qui omnes eos populos Germanos volebat, Scoringiam eo transfert, vnde omnes Celticae et Cimbricae nationes venerant.

Alterum nomen est fluminis *Chalusi*, idque tam luculenter Slauonicae originis, vt, si primum, quem obuium habueris, Slauum, de hac voce interrogaueris, statim dicturus sit, esse torrentem, qui cum strepitu decurrat. *Chalas* enim Slauicum et *Chalasus* latinum, si in lingua ger-

a) §. 89. pag. 195.

germanica nihil significat, incolas *Scoringiae* necessario Slauonice locutos esse, sequitur; id quod statim clarius etiam elucebit.

Tertium nomen fluminis *Trauae* est, prope *Vismariam*; ipsum non minus certo Slauonicum, quam vrbis nomen, de qua re supra in Wisimiri Regis Vandalorum historia locutus sum. Sed communi pronunciationis defectu T. pro D, sine dubio positum, nam Slauus *Draua* pronunciaret, id est fluuium, qui *omnia eradicat, et tollit,* quae *in ripis sunt,* quemadmodum plura flumina sunt, quae *Draua* appellantur. Quod si autem vel bene per T, pronunciatum sit, *Traua,* tamen Slauica vox est *gramina* designans,

Accedit ad haec, tamen *Eccardum* ad Mauringiam non venire, quanquam dicat, se de ea infra locuturum. Promissis autem non stetit, et probabile est, eum id ideo fecisse, ne Slauos in Vandalis agnoscere cogeretur. *Moringia* enim latine dicta, venit nihilominus a *More* Slavonico, quod mare significat. Sic appellamus *Morzeyznam,* quando ventus a mari nobis flat; inde illa regio semper appellata fuit *Pomorszczyzna,* id est, regio supra littus maris, vel ad mare iacens. Verum quidem est, discrimen inter *more* Slauonicum et latinum mare exiguum esse, sed hoc casu euenit plane fortuito, nec ideo *Moringia* a mari venit, cum Drusus Albim nunquam sit transgressus, nec unquam Romanus penetrauerit in illam regionem, nedum nomina imposuerit prouinciis inimicissimorum populorum. Audacter igitur inde concludere licet, istas terras a populis Slauicis fuisse habitatas; nam ostendi, Vandalos Slauice locutos, et scimus, flumina semper per longissimum tempus conseruasse prima nomina, neque alia antiquiora horum fluuiorum nomina nota esse. Inde

etiam

etiam colligi poteſt, quod, ſi Moringiam conſtituere placeat, vbi ſunt hodierni Ducatus Pomeraniae vlterioris citeriorisque: hoc regionis Moringiae nomen congruat ratione ſitus cum ſignificatione in idiomate Slauonico, quae ad mare ſitam regionem exprimit, qualis ea reuera eſt. In alia vero lingua Etymologiam huius vocis inuenire non poſſumus, id quod probat antiquitatem linguae Slauonicae in Vandalia, ſiquidem et Graeci eius, licet more ſuo, nomine paulo mutilato mentionem faciant. Finiam autem hunc locum auctoritate *Leibnitii*, cuius diſcipulus fuit *Eccardus*: a) Is „Mauringiam (inquit) „fuiſſe ſitam ad mare Balticum, conſtat ex *Paulo Warne-* „*fride* vulgo *Diacono*, iter Longobardorum (etſi fictitium) „deſcribente; praeter quam quod id ipſo vocabulo indi- „catur. Eſt enim Mauringia regio maritima, hodie- „que eadem fere regio Pomerania appellatur; ſunt enim „Pomerani ſermone Slauico, *ſiti ad mare*.„

Omnes hi populi, de quibus loquuntur *Commentatores Plinii* me coegerunt, vt copioſior eſſem, quam volueram; ſed perpetuae quorundam dubitationes, et aliorum manifeſti errores, in enarratione prouiciarum et diuerſorum illorum populorum obſeruati, me impulerunt, ad corrigendam hanc Geographiae partem, quae ab aliis ſine linguae cognitione vel obſcure vel ſaepe etiam male tractata fuerat. Iam ad reliquos auctores, qui nobis obiiciuntar pergimus; tamen cum in eo ſim, vt obſeruationes meas de *Plinio* abſoluam, non poſſum non eas finire propria huius auctoris confeſſione adiecta, vt oſtendam, non nimis fiduciae deberi narrationibus eius. Dicit nimirum de Germania: b) „Nam Germania multis poſtea annis *nec tota percognita eſt*, *ſi*

a) *Or. Fr.* p. 14. b) Libr. IV. c. 14. p. 198.

„*ſi coniectare permittitur, haud multum orae deerit, Graecorum* „*opinioni* et longitudinis ab Aprippa proditae. . . . Germa„norum nomina quinque, Vindili, quorum pars Burgun„diones, Varini, Carini, Guttones, ... Quinta pars „Peucini Baſtarnae, ſupra dictis contermini Dacis. Amnes „clari in Oceanum defluunt, Guttalus, Viſtillus ſiue Vi„ſtula, Albis, Viſurgis. „ Illa tota quinta, quam habet *Plinius* pars Germaniae, falſo ei adiecta eſt; notiſſimum enim eſt, non ſolum *Ptolemaeum* finire Germaniam ad Viſtulam, ſed etiam omnes eos populos eſſe Sarmaticos. Praeterea *Plinius* a) ad ea ipſa non aduerterat, quae ſuperius dixerat: „Nec eſt minor, (inquiens,) *Emingia.* Qui„dam haec habitari ad Viſtulam vſque fluuium a Sarmatis „Venedis, *Scyrris Hyrris* tradunt. „ Quod ſi ergo idem auctor populos Sarmaticos colere ait ad Viſtulam vſque, Germanos vltra eum fluuium quaerere non debemus, cuius oſtium, vt ait Auctor, Sarmatae attingebant. Peucini etiam, in hiſtoria noſtra dicti *Pelczyngowie*, ſi mappam *Ptolemaei* geographicam a *Samſone* exaratam inſpexeris, conſtituti ſunt in Palatinatu Ruſſiae, vbi fuerunt antiquitus Roxolani. Imo montium etiam prope Leopolim, Ruſſiae principalem vrbem, ſitorum catena hodie adhuc vocatur, *montes Peucini*, vel *Pel'zynskie gory;* nec minus lacus eo nomine eſt inſignitus. An igitur iam liquet, Sarmataene fuerint eae nationes, an Germani? Baſtarnarum Metropolis erat *Nioſum* ſupra *Pripetium*, extendebanturque inde; id eſt a Palatinatu *Breſtiae*, ad *Podlachiam* vſque. Ex hiſtoria Regni Polonici patet, eos vicinos Peucinos habuiſſe a meridie, quod et *Kleczewski* b) ait, qui in parte *Lithuaniae*, id eſt in *Breſtia*, et *Podolia*, illos etiam collocat.

Plinium

a) Lib. II. C. 13. p. 197.

b) pag. 114.

Plinium excipiat *Dio*, cui *Vralius* aduersatur, qui egregie fallitur, vbi contra tam antiquum auctorem, de *fontibus Albis*, disputat, quia Marcomanni prope eos habitauerint. *Tacitus* a) enim expressis verbis idem, dicit: „*In* „*Hermunduris Albis oritur*, „ vnde colligi potest, Auctores, qui postea scripserunt, fontes Albis ex eorum nomine appellauisse, qui tunc temporis eas regiones possiderent. *Cassius* b) igitur circa annum 250. scribens, eos *montes*, ex quibus Albis decurrit, Vandalicos appellat, quia Marcomanni jam tunc in Masouia erant, et quia inter Bohemiam, eamque partem, vbi Albis fons est, interiacuit Silesia, quae Marcomannos a Vandalis separabat. *Cario* sententiam meam confirmat, his verbis: „*Dio* scribit, fontes „Albis esse in Vandalicis montibus. Diu igitur diuersae „gentes ibi fuerunt in ea regione, quae habuit Boiemiae „nomen. Boii Marcomanni, et Heneti; Boii significat „aduenas, Marcomanni limitaneos, Heneti late vagan- „tes. „ Quae omnia ad id faciunt, quod omnes Bohemici auctores affirmant, Venedos Slauos, inuenisse in Bohemia colonos suarum nationum. Hi autem coloni nulli erant alii, quam *Vandalorum reliquiae*; nam post Hermunduros et Marcomannos Venedi vltimi fuerunt, qui Albis fontes accolerent. Nec me quicquam melius in hac re juuare poterit, quam Germanici scriptoris sententia contra popularem suum, *Eccardi* nimirum; qui in libro de origine Germanorum c) ait: „*Dio* hinc Albim, in „Vandalicis montibus oriri suo tempore recte dicere po- „tuit; caeteri Vandali, id est *Astingi*, per Germaniam, „Italiam et Galliam vagati in Hispaniam, et tandem in „Afri-

a) De morib. Germ. p. 228.
b) L. 55. Editionis Reimar. p. 770.
c) pag. 446.

„Africam, extincto ibi paene nomine Romanorum, pene-
„trarunt. „

Duas res nobis auctor illuſtrauit, in quibus errauerat *Vralius*. Is enim vt oſtenderet Vandalos eſſe Germanos, mutauit ipſam eorum temporum Geographiam; quam *Vralii* temeritatem jam alii ſcriptores notauere. Alterum maximi eſt momenti ad confirmandum id, quod toties probaui: partem nempe Vandalorum in Vandalia reſtitiſſe. *Eccardus* enim diſertis verbis ait, maximam partem gentis manſiſſe in ſedibus ſuis, et caeteros ſolummodo Vandalos, id eſt *Aſtingos* in Hiſpaniam Africamque abiiſſe, vti ſupra loco citato vidimus, (pag. 446.) An vlla ſuſpicio locum habet, *Eccardum* haec ipſum finxiſſe? et quaenam alia natio eſſe poterat, ea, quam auctoritate ſcriptorum *Bohemicorum* omnium, *Slaui* in Bohemiam venientes ex ſua gente reperiſſe dicuntur, niſi eam fuiſſe *Vandalos* cum *Eccardo* ſtatuamus?

Ad quartum jam transeamus claſſicum ſcriptorem, cuius auctoritas nobis oponitur, *Procopium*. Eo autem argumento maxime nituntur, (vno verbo enim rem, antequam ipſum *Procopii* textum adducam, explicabo:) quod ille Gothorum gentem Vandalos eſſe dixerit. Superius jam de prioribus auctoribus *Tacito* et *Plinio* locutus probaui, idque infra etiam, de *Strabone* diſputaturus, addam, eos ob propriam ipſorum de inſcitia ſua, ratione populorum vltra Germanos habitantium, confeſſionem, lectorem non poſſe adducere, vt habeat plenam fidem ipſorum dictis. Imo vel absque hac eorum ingenua profeſſione, quilibet rem ita ſe habere, facile potuiſſet animaduertere; nam dum ſuſcipiunt enummerationem diuerſorum populorum ita ſe cum illis confundunt, vt, vel maxime attentus lector, propter incredibilem eorum

inconstantiam et cum aliis scriptoribus repugnantiam, sequi illos et attingere omnino nequeat.

Cuius generis est ille *Procopii* a) locus, vbi ait: „Plu-„rimae sunt nationes Gothicae: sed inter illas Gothi, Van-„dali, Visigothi, et Gepides, cum numero, tum dignitate „praestant. Vocabulis quidem omnes, nulla vero re prae-„terea differunt. . . . eaedem leges, eadem sacra (Ariana „scilicet) vna demum lingua, quam Gothicam vocamus . . . „Olim Sarmatae dicebantur ac Melanchlaeni. „ Qua quaeso ratione hoc *Procopii* loco recte niti possunt? Si vel maxime *Procopius* nobis eripere Vandalos hac sententia putetur, quia eos Gothis annumerat: obiici tamen possit, nondum satis clare apparere, ipsos Gothos Germanos fuisse, aut potius, Germanos a Gothis ortos esse. Nam non opus est, vt ad antiquissima recedamus tempora, vt demonstremus, Gothos prius in historia cognitos fuisse, quam Germanos. Sed his omnibus non opus est. Ipse enim *Procopius*, si vel maxime in initio nobis Vandalos abstulerit, damnum tamen statim resarcit, restituendis eis in fine: „*Sarmatae*, (inquiens) *dicebantur*.„ En Vandalos denuo iam Sarmatas declaratos! *Procopius*, cum sciret, partem Vandalorum vel subiectos esse vel socios saltem Gothorum, infirmiores sub fortioribns comprehendit; quia autem alibi legerat, Vandalos Sarmatas esse, non potuit aliter facere, quin in fine, cuius originis vere sint, his verbis confiteretur: „olim Sarmatae dicebantur et Me-„lanchlaeni. „ Caetrum mirum foret, tam sollertem auctorem committere potuisse tantum errorem, cum nunquam gentis origo possit mutari: quare potius in sensum eorum, quae dicit, diligentius inquirendum est, verba-que

a) L. I. C. 2. *de bell. Vandal.* p. 178. (1. t.) p. 372. (2. t.)

que eius quam commodissima ratione sunt explicanda. Atqui id fieri potest, si dicas, ejus jam tempore propter mutua foedera has nationes vnam gentem effecisse. Nam Gothi, Getae et Visigothi erant reuera Gothicae originis; exceptio autem quam adiicit: „*olim Sarmatae,*„ ad Vandalos *solummodo referenda est,* siquidem notissimum sit, neminem vnquam appellasse Gothos Sarmatas, sed Scythas. *Procopius* a) autem *Iulium Capitolinum* aut alium quendam eorum Scriptorum legerat, qui Sarmatas cum Vandalis, tanquam tribu ipsorum, coniunxissent. Caeterum mirum videtur, *Procopium, Plinium* sine dubio ad manus habentem, Vandalos non vocasse Germanos, sed Gothos. Ex qua re luculenter apparet, eum de Vandalorum origine non ex Germania, sed Sarmatia deducenda persuasum fuisse. Adducam alium *Procopii* b) locum, vbi ait: „Vandali ad „Germanos, quos hodie Francos nominant, et fluuium „Rhenum, se receperant; tractis in societatem Alanis, *na-„tione Gothica.*„ Cur *Alanos* nationem Gothicam, distincte nominat, si ipsa Vandalorum etiam natio *Gothica* erat? cur non dicit, tractis in societatem Alanis popularibus suis? et alio loco c) narrat: „Aliquanto ante Romani „Scirros, Alanos et alias nationes Gothicas in societatem „asciverant.„ Ecquid inter has gentes Gothicas, si Gothi fuissent non numerasset Vandalos, gentem potentem, diu inter Romanos commoratam et a Constantino M. inter socios susceptam? Nec id, quod affirmaui, fundamento caret, quia *Procopius* multis aliis in locis idem confirmat de qua re legendae sunt paginae 182. 190. 198. 293. et 308. Certe, inquam, si Vandali Gothi fuissent,

 non

a) *in Marco* C. 16.
b) pag. 182.
c) pag. 308.

non adieciſſet *Procopius* „tractis in ſocietatem Alanis, „*natione Gothica*„ ſed dixiſſet *cum Alanis ſuis popularibus*.

Ex eo vero, quod *Procopius* dicit, eandem vtrique populo religionem eosdemque mores fuiſſe, eandem originem ſupponere non licet, de qua *Procopius* verba facere, ſapienter abſtinet. Omnes enim antiqui populi eadem fere habebant idola, licet diuerſſimae eſſent originis. Hercules etiam a Germanis adoratus fuit; inde tamen non ſequitur, eos ab antiquis Graeciae populis ortos eſſe? Quod eo magis valet, quia cum Vlphilas inter Gothos Arianos errores diſſeminauit, neceſſe eſt, *Procopium* de Vandalis loqui, poſt Arcadium et Honorium viuentibus. Si enim Vlphilas ao. 408. Gothos Arianorum religionem docuit, dum ita *Procopius* loquitur, de tempore Honorii et Arcadii loquitur, id eſt de anno 408. nam Honorius mortuus eſt anno 423. Vandali vero 407. in Hiſpaniam penetrarunt. Quod autem ad mores adtinet, procul dubio, omnes barbaricae gentes ſibi ſimplicitate morum valde erant ſimiles.

Sed ad alium non minoris momenti locum eius auctoris tranſeamus, ad refutandam nouam et nullis argumentis firmatam opinionem, Vandalos *penitus reliquiſſe* Vandaliam, nouasque quaeſiuiſſe ſedes. Nullibi in tota hiſtoria legimus, eos coactos eſſe ſedes ſuas relinquere. *Procopius* etiam forte argumentum contrariae opinionis praebet in deſcriptione ſplendidae legationis.

Quod vt clarius pateat, ipſe adducendus eſt *Procopii* a) locus. Nempe „initio, (ait) cum preſſi fame Van„dali e patriis ſedibus demigrarent, relicti ſunt nonnulli „quibus obſtitit blandiens inertia, quominus ſequerentur „Godi-

a) Lib. I. C. 22. p. 227.

„Godigisclum. Procedente tempore illi reſidui largam habe-„re annonam viſi ſunt, et Gizericus cum ſuis Africam oc-„cupauit. Cuius rei nuntius laetitiam iis adtulit, qui co-„mites Godegisclo ſe non addiderunt, ad hoc enim res „bene comparatas videbant, vt ſua ipſis regio ſatis prae-„beret, quo vitam deinceps tolerarent. Sed veriti, ne olim „vel illi ipſi, qui Africam obtinuerant, vel eorum nepo-„tes, quoquo modo pulſi, ex Africa in natale ſolum redi-„rent (neque enim illam Romanis neglectui fore ſemper „putabant) Legatos miſerunt: a) qui ad Gizerici conſpe-„ctum admiſſi, dixere ſe res adeo laetas gratulari populari-„bus ſuis, ab ipſis ſeruari non poſſe amplius regionem, „qua poſthabita Africam coluerunt: propterea rogare, vt „quando patriam non curarent, iis, qui remanſerant, poſ-„ſeſſionem donarent, jam inutilem ſibi: vt regionis cer-„tum adepti dominium, ſi quis eo veniret infenſus, pro „illa mori non dubitarent: .... His auditis Gizericus le-„gatos re infecta remiſit. „ Supponamus, *Procopium* cer-to affirmare, Vandalos regionem ad Maeotidem re-tinuiſſe; id quod tamen hiſtoria non tradit, quae con-tra, eodem ſaeculo nouos aduenas, *Hunnos, Auares, Slauos, Bulgaros, memorat*, atque de Vandalis in his re-gionibus reſiduis nullam mentionem facit; ſat tamen fa-cimus, ſi modo aduerſariis noſtris probauerimus, Vanda-los petentes Hiſpaniam et poſtea Africam, *ſedes ſuas plane et omnino vacuas* non reliquiſſe, id quod recentiores ideo tantum affirmant, vt abſcondant Slauicam Vandalorum, quos Germanos ſibi fingunt, linguam et originem. *No-uum* itaque *populum*, Slauos, vt intelligo, ex propoſito in-troducere volunt, licet tempus immigrationis eorum ex nullo

a) pag. 228.

nullo ſcriptore pateat; alias enim lingua, qua vtebantur Vandali, eos Germanos non fuiſſe arguiſſet.

Credendum jam erit, illos legatos miſſos fuiſſe a populo, nullum Principem habente, quales Godigiſclus vel Ginzericus Principes erant eorum, ad quos legati miſſi erant? Id vero nemo credet. Imo apparet inde, non ſolum nationis maximam partem in Vandalia reſtiteiſſet, id quod inferius demonſtrabimus: ſed etiam Principes eorum e Regia familia fuiſſe, cuius rei non leuia praeſto ſunt teſtimonia. Chronicon *Carionis,* a) Chronicon *Bucellini,* b) *Heningium,* c) *Hubnerum* d) multosque alios euoluere oportet, qui Alaricum Regem Vandaliae, in ea parte, vbi ſemper remanſerunt Vandali, non ſolum regnaſſe affirmant; ſed et nepotem vocant illius *Genzerici Africani,* primumque ſimul auctorem Sereniſſimae Domus Megapolitanae.

Vandalos, (ita *Cluuerii,* Epitome Hiſtoriarum totius mundi) e) in antiquas ſedes reuerſos eſſe, ex *Zoſimo* et *Vopisco* in *Probo* probare, facile nobis eſt: „Facta „enim cum Perſis pace, ad Thracias rediit *Probus;* et cen„tum millia Baſtarnarum in Romano conſtituit ſolo, qui „omnes fidem ſeruauerunt. Sed cum ex aliis gentibus „plerosque pariter tranſtuliſſet, id eſt, ex *Gepidis Gautunnis* „et *Vandalis,* illi omnes fregerunt fidem, et occupato bel„lis tyrannicis Probo per totum pene orbem pedibus et „nauigando vagati ſunt, nec parum moleſtiae Romanae „gloriae intulerunt. Quos quidem ille diuerſis vicibus „variisque victoriis oppreſſit, *paucis demum cum gloria re*„*deuntibus, quod Probi euaſiſſent manus.*„

Alia

a) pag. 243.
b) pag. 68.
c) pag. 288.
d) pag. 192.
e) Lib. I.

Alia etiam obiectio est, quod Venedi Vandalorum sedes occuparint, ex *Zachariae Riuandri* Chronico Thuringico desumta, vbi tamen auctor nil de illorum origine vt debuit, egit; ait autem: a) „Anno 451. Slaui, vel Venedi, „qui in Prussia ad Vistulam consederant sedibus suis „relictis, veterum Wandalorum sedes ad Viadrum et „Spream eiectis Sueuis occuparunt, et iis in locis, vbi „nunc Pomerania et tractus Megapolitanus est, sedes „nouas fixerunt &c.„

1) Res ipsa tamen ab auctoribus desiderata verissima videretur, si anni 451. mentio, scriptorum aliorum auctoritate firmata esset, quia ex hac epocha etiam si omnino distinctam gentem fuisse, non pateret, ad minimum colligi posset, Vendos successisse Vandalis. Sed ne hoc quidem in auctoribus legitur.

2) Auctor noster non affirmare audet, omnes Slauos aut Venedos in Vandaliam venisse habitatum, quia Venedi longe ante Chilperici tempora coluerint in vtraque Pomerania citra vel vltra Vistulam ad nostra vsque tempora; id quod est firmissimum argumentum. Neque etiam asserit, nec asserere potuit, omnino Vandalorum nullas in regione fuisse reliquias: cur itaque Venedi ad Vandalos concesserunt, habentes ipsi regionem tam vastam, neque vt ex historia patet, ab vlla alia gente pulsi; nisi hoc ob tantam Venedorum cum Vandalis conuenientiam factum esset.

Nam quod ait, Sveuos expulisse Venedos, id contra probaret, noluisse illos ferre gentem peregrinam, Germanicae originis; sed tamen et haec Sveuorum migratio per Venedos eiectorum nullo historico testimonio fuit firmata.

Si

a) pag. 26.

Si *Riuander* Procopium legiſſet, qui expreſſis verbis Vandalos aliquos in ſua ipſorum regione reſtitiſſe affirmat, dum refert legationem eorum paulo ante exitum illorum ad ciues ſuos iam Africae Dominos: non haec dixiſſet. „*Sedes Wandalorum occuparunt.* ſed potius: *prae-„ſidiis firmarunt*, aut *coloniis auxerunt*.„ Nec omnino conſuluit *Bucelinum*, *Heningiumque*, qui Regem remanentem nominarunt; de quo vix poteſt dubitari, quia gens ſine rectore eſſe non potuit.

Tres iam mihi conſiderandae ſuperſunt *Procopii* opiniones, de fatis Vandalorum, quas eadem pagina his verbis prodit: „Caeterum exſtincta eſt hodie memoria, „ac nomen Vandalorum illorum interiit, qui in patria „reſtiterunt, licet non pauci eſſent: vel a conterminis „barbaris exterminatos crediderim, vel ſponte ipſis per-„miſtos nomen amiſiſſe. Nec tamen fuſis a Beliſario Van-„dalis, reuiſere patriam conſilium fuit. Haud enim „repente in Europam ex Africa migrare maxima cum na-„vigia deeſſent, licebat.„ Omnino interierat memoria nomenque Vandalorum ad *Paludem Maeotidem*, vbi reuera tunc non fuerat. Notum enim eſt, quam ſaepe veteres hanc paludem cum mari Baltico confuderint. Vtar hic verbis illuſtris *Leibnitii* in Diſquiſitione de origine Francorum, Hanouerae anno 1715. edit. a) „Sciendum eſt, ſcrip-„tores locis temporibuſque remotos Maeotidem paludem „cum Baltico mari non raro confudiſſe, quod etiam „notauit *Adam Bremenſis*.„ b) Fortaſſe, „inquit, mutatis „nominibus arbitror illud fretum (mare Balticum) ab „antiquis Romanis appellari paludes Scythicas, vel Maeo-„ticas.„ Exemplum manifeſtum habemus in *Procopio*, c) qui

a) pag. 21. b) Lib. I. c) Lib. I. *Bell. Vandalos.*

qui Vandalos primum circa Maeotidem consedisse narrat, quos a mari Baltico venisse ex *Tacito* aliisque constat.

Opiniones appellandae, non historica narratio, quando auctor euentibus rerum suppositis de iis loquitur quae *crediderit*. Certa enim rerum fides et cognitio non patitur duplicis exitus narrationem. *Procopius* saepe distinctiua hoc in loco particula vtitur, vel vt lector libere iudicet quid fas sit, credere, et relinquat ei arbitrium quam velit sententiam eligendi. Fluctuat tunc suspensus et dubius lector, studioque verum inueniendi, ad alios auctores confugit, vt, verum quid sit, in re obscura inueniat. Ego ad *Iornandem* statim me confero, qui *Procopio* aequalis, tamen nihil refert, vt nec alius scriptor; quae fuerit ea gens, a quibusnam hostibus, et quando sit eiecta. Magis igitur rationi et historiae consentaneum erit, si credamus, *Procopium* loqui tantum hoc loco de vna quadam Vandalorum parte, quae in Pannonia restiterit vicina, et cuius nullum reuera amplius in historia deprehendimus vestigium; nullo modo autem eum eos intelligi velle, qui immensas illas inter Albim et Vistulam regiones colebant, quosque facile ignorare poterat, in tam remoto Sarmatiae angulo habitantes, cum post quinque demum saecula *Adamus Bremensis* a) hos deperditos quasi Vandalos rursus invenerit, qui „*Slauonia*, „inquit, amplissima Germaniae prouincia, a Vinulis coli-„tur, qui olim dicti sunt Vandali &c.„ Sed alio tempore hunc locum inuestigabimus, ideoque ad tertiam iam *Procopii* dubitationem transeo, quae etiam in coniectura tantum ipsius aliquem locum habet. Cum enim gloriae

V 2 patroni

a) Lib. II c. 10.

patroni sui Belisarii non posset dare, quod omnes omnino Vandalos ex Africa eiecerat; ita sibi consuluit, vt diceret: „non tamen reuisere patriam consilium fuit. „Haud enim repente in Europam ex Africa migrare licebat.„ Quae vero fata iis acciderint postea, plane non narrat.

Nulla autem ratio subest, cur credamus, totam nationem tam repente esse exstinctam, nec illos solum, qui in auitis sedibus manserant, nec eos, qui in Pannonia remanserant, expeditioni Hispanicae Africanaeque impares, imo neque ipsos etiam, quorum pars a Belisario victa, pars vero dispersa fuerat, periisse, cum tamen vel ex incensa et excisa Troia tot gentes et vrbes originem traxisse dicantur. Nihil certe nos inducere poterit, vt id accidisse Vandalis credamus; inprimis, si in mentem nobis reuocemus priores, quas susceperunt cum numerosis exercitibus migrationes, sub celeberrimo illo Wisimiro; sub nepote ipsius Radegasto; sub Radegasto inquam, qui ducentis millibus hominum nisi perfidia Stiliconis obstitisset, ipsam Italiam in potestatem suam redegisset; sub Corsicone postea, filio Radegasti, qui ad Pyrenaeorum penetrans montium radices, omnibus subiugatis patris tanta cum gloria vltus est mortem. Ipse autem *Procopius* a) nos docet, Vandalorum tantummodo quinquaginta millia exiisse, adiunctis nimirum Alanis, sub Godigisclo, ad inuadendam Hispaniam; vnde patet, minorem adeoque valde modicum fuisse numerum Vandalorum exeuntium, si comparentur cum iis, qui remanserunt. Ea res nonne nobis duo praebet argumenta, alterum quidem, Vandalos, sub Godisclo emigrantes, membrum quasi solummodo fuisse corporis Vandalici, et Principem iuuenem animo-

a) pag. 190.

animoſum, ad occupandas prouincias tendentem, tantum ſecum abduxiſſe copias ſponte ſequentium, eorum nimirum, qui fame preſſi, ob inopiam, patriam reliquerunt, remanentibus opulentioribus. Sine dubio enim alii fuiſſe videntur, qui nec participes eſſe cupiebant praedae, nec occupandarum ab audace Principe regionum, cum vtriuſque rei ſatis dubium exitum fore intelligerent; neque putandum eſt, barbaros hac in re tam parum ſibi proſpexiſſe, cum prudentia eorum ex incorruptis iſtorum moribus eluceat, et innumera fere in hiſtoriis Cimbrorum, Gallorum, Gothorum, Vandalorum ipſorum, et Longobardorum exempla eos docere poſſent.

Alterum vero argumentum ex loco *Procopii* hoc duci poteſt, numerum ad quinquaginta millia hominum, adiunctis Alanis auctum (quos Gothos ipſe dicit) nobis oſtendere clariſſime, quemadmodum Vandali antea Gothis ſibi aſſociatis bellum inierant, ita eoſdem ſimili modo per Alanos aucto numero, maiores ſibi vires acquiſiuiſſe. Huius rei ſigillum quaſi eſt quod idem auctor in belli Gothici hiſtoria, nunquam affirmet, Vandalos Gothos eſſe, neque eos in primo Tomo Operis ſui commiſcere auſus fuerit, ſed tum demum, cum ad tuendam cauſſam communem ſeſe coniunxiſſent. Tali, qualis Beliſarius fuit, Heroe opus erat, ad vincendos eos, nec tamen vna vice hoc fecit, ſed vnam poſt alteram gentem ſuperauit; nam commune periculum coniunctos quidem eos tenebat, ita tamen, vt vnaquaeque natio, quae occupauerat, ſola tueri ſuis viribus vellet. Ad eundem tandem *Procopium* reſpicientibus nobis facile erit demonſtrare, ipſum pro noſtra facere ſententia, cum diſcrimen Vandalorum Germanorumque in eo, quem in medium adducemus, loco, tam luculenter propoſuerit, vt praeter hoc teſtimonium nihil nobis

amplius restet desiderandum; nam si vel maxime *Procopius* a) Vandalos Gothicum genus appellet, quia ab iis in societatem erant asciti, *Saluianus* b) tamen eos a Gothis, &c. et, a quatuor insignioribus eo aeuo nominibus, distinguit.

§. X.

CONCLVSIO PROPOSITI.

Iam finiendum est, iudiciumque Lectori erudito et a praeconceptis opinionibus libero, relinquendum; autumo autem, me satis clare demonstrasse, quatuor illos classicos auctores, quorum auctoritatem *Vralius a Reitenstein* nobis in materia, quam pertracto, opponebat, non adeo nobis esse contrarios, vt conciliari cum nostra sententia nequeant. Per hanc autem occasionem incidi in cogitationem: cur ea abscondamus nobis, quae remotissima antiquitas habet, de historia septentrionali, siue ex destinato consilio id faciamus, siue ex negligentia? inductusque sum, vt perlegerem *Strabonem* his de rebus agentem; praeterea cogitaui mecum, qui fieret, vt *Ptolemaei* testimonium istis auctoribus, qui Vandalos Venedosque eundem populum fuisse dicant, non aeque obiiciatur? Proinde addere hic constitui, quae praeterea inueni ab istis auctoribus tradita. Atque *Strabo* c) quidem ingenue fatetur: „Quae trans Albim ad Oceanum sunt, nobis prorsus „ignota.„ et paulo post, varias Geographorum ipso superiorum sententias recenset his verbis: „Quid autem „sit vltra Germanos et alios iis confines, siue Iazyges, siue „Roxolani, siue alii in curribus domicilia habentes, non „est

a) Lib. I. *Vandal.* b) Lib. VII. pag. 273. c) Lib. VII.

„est facile dictu.„ Ex hoc *Strabonis* silentio de Vandalis, coniicio, aetate eius certe Vandalos nondum Germanicis nationibus fuisse accensitos; sed inter eas gentes numeratos, quae *vltra Albim* habitauerint. Quinam vero sunt, qui vltra Albim habitarunt? nominat ille Bastarnas, Iazyges, et Roxolanos. Igitur ne sic quidem satis nobis lucis adfert *Strabo*, Geographorum facile princeps; non autem credendum est, ex se ipso eum haec temere hausisse et e coniectura protulisse, sed ita scripsisse, quod ipse ait: „vt plerique putant.„ Ergo antiquiores Geographi, non vnam, sed tres nationes, omnes eas Sarmaticas Venedicasque certo certius enumerauerant, nec vlla hic a *Strabone* fit mentio de Germanis.

Prorsus ergo cum *Strabone* consentit *Ptolemaeus*, qui in describendis gentibus littoris Baltici, dicit: „Sub ipsis „(*Sidinis*) *Ruticlii* a) vsque ad fluuium Vistulam.„ et paucis interiectis verbis, pergit: „Baguntae caetera tenent, „quae inde subsequuntur vsque ad Vistulam.„ Nullum hic etiam et nullibi de Vandalis verbum apparet, cum tamen necesse sit, illam gentem iam tum extitisse, et in aliqua Sarmatici maris parte sedes habuisse. Sed idem auctor, cum *Strabone* consentit, cum ait: „Sarmatiam „definiri a Septentrionibus, Oceano Sarmatico iuxta Vene„dicum sinum, et parte terrae incognitae.„ per quam *terram incognitam*, vtrum eandem regionem ab ostio Albis ad fluuium Vistulam pertinentem intelligat, an versus septentrionem sitam, nemo definire audebit; cumque deinde dicat: „Sarmatiam tenent maxime gentes *Venedae* per totum „Venedicum sinum.„ ita concludo: Si verum est, Vandalos ad Vistulam fuisse protensos et sinum Venedicum ad ostium

Vistulae

a) Lib. II. c. 11.

Vistulae ex duabus partibus fluminis sese protendisse: nihil aliud colligere possumus ex *Ptolemaeo*, nisi totam Venedorum fuisse illam regionem, quam tunc scimus Vandalos etiam habitauisse, qui ad sinum Venedicum manserint. Verbis *Ptolemaei* concludam: „maxime enim gentes Ve„nedae fuerant,„

Iam vero ad fontes descendamus, videamusque, quis ille fuerit auctor, qui nouam protulerit opinionem, Vandalos fuisse Germanos. Patet autem eum fuisse *Cluuerium*, qui tamen ipse erat Slauus, Kamieni (Kamien) duobus a Stargrad, melius Stargard, (antiquius Starygrod) milliaribus natus. At hunc *Cluuerium* multis in locis errauisse, apud plures scriptores demonstratum videre licet.

Nos ad rem nostram transeamus: sufficit, *Cluuerium* a) Vandalos accensuisse Germanis, et Venedos magnam Germaniae partem occupauisse: jam vero haec quoque obseruanda sunt, *Cluuerium* in hac parte *Caesarem* laudare, principemque historiae, *Tacitum*. Quae audacia mihi quidem videtur nimia, cum nihil huius sententiae nec vnus, nec alter habeat. Fortasse aliquis dicat: horum scriptotum auctoritates, reliquorum populorum ratione, quos in eo loco recenset, ab eo fuisse adductas; quod si foret, ea de qua nunc res agitur, periodi pars, nulla suffulta esset auctoritate.

Cluuerium nullo solido argumento innixum coniecturas proferre; vel inde demonstrari poterit, quod Vinulos, qui Venedi sunt, eosdem dicat cum Vindulis, cum tamen potius Vinduli cum Vandalis sint vna eademque gens.

Praeterea si vir doctus persuasus erat, Vandalos Germanos fuisse;, confirmare hoc pluribus debebat, Vandalicis

a) Lib. III. c. 6. n. 2.

ſicis vocibus, quas Germanicas eſſe demonſtrandum erat, adductis. Cum vero hoc nequiret, clarum eſt, nullis ejus ſententiam fundatam eſſe argumentis; non enim probabile eſt, illum quae ad probandam lectori opinionem pertinerent, diligenter omiſiſſe. Eadem res me inducit, vt vel Caſſubium eſſe eum, vel patre Germano natum, vel denique linguam patriam ignoraſſe credam; mihi enim praeter laborem nulla re opus fuit, ad deprehendendas fere vbique Slauonicae originis voces, quam nomina vrbium Regumque, lucutentiſſime teſtantur.

Nihil certe agit *Cluuerius*, dum Vandalos Germanicae originis eſſe contendit, ſibi enim non conſtat, cum eos ab omni latere Vindorum nationibus circumdatos aſſerat. Id enim veroſimile non eſt, Germanorum partem inter medios Slauos coluiſſe, interim tamen nullum aliud argumentum a *Cluuerio* adducitur.

Opponamus *Cluuerio* auctores, qui ejus errores detegant. Fuit enim is auctor ex eo ſcriptorum genere, qui ardore quodam mentis, in materiam quam tractant, nimis intenti, omnium populorum coniunctionem quandam reperire ſibi videntur cum ea gente, cuius originem, neſcio quo partium ſtudio ducti, extollere laborant. Primus autem, qui mihi in oculos incurrit non minus celeber eſt Geographus, *Chriſtophorus Cellarius*, cujus prudens iudicicum laudari ſatis non poteſt. Vbi enim de Vandalis et Venedis loquitur, ita hanc materiam tractat, vt nihil quidem definiat, opinionem tamen ſuam, eodem loco quo Vandalos eſſe *Plinio* Vindilos dicit, his verbis oſtendat: a) „*Vt de ſede nationum* nihil *certi ex Plinio* „*habeamus.* „ Paulo poſt vero, hoc argumento ſententiam ſuam confirmet: „Tam dubiae ſunt coniecturae, quae ſe- „dem

a) *In Geogr. antiq. L. II. C. 5. Sect. 2. n. 65. p. 384.*

„dem his populis constituunt, nec mirum quia Romanae „expeditiones in Albi fere flumine suum limitem et finem „habuerunt.„ Idem *Cellarius Cluuerium* reprehendit, quod male interdum a tribubus singulis ad integras gentes concluserit. Sic cum *Cluuerius* ait, ex Gottonibus venisse Gothos: reprehendit eius judicium: a) „Num fieri potuit, „inquit, vt ex tam paruo angulo, vnde Gothones exie„runt, (ex hodierna nimirum superiore Silesia) et ex par„vulo illo hominum manipulo, originem traxerit tanta „hominum multitudo, quantam Gothorum fuisse sci„mus?„ Recte *Cellarius* monet; nam de situ Gothorum non tam ad *Tacitum* prouocare debuisset, quam potius ad *Geographum Alexandrinum*, qui eos inter Viadri et Vistulae fontes constituit. Quoniam autem jam de illa tribu locutus sum, lectorem eo remitto. Restat, vt hac occasione oblata iterum majorem diligentiam commendem iis, qui ob solam nominum similitudinem, ex duabus vnam facere volunt gentem, aut vt Etymologiam Germanicam eruant, in tribus aut quatuor linguis eam conquirunt, et totum fere septentrionem eius inueniendae caussa peragrant.

Multos alios in medium adducere possemus auctores Germanos pariter ac peregrinos, omnes graues et fide dignos, qui plane contra *Cluuerii* sententiam affirment, Vandalos omnino esse Venedos. b) Antea vero obseruabo,

a) L. II. C. 5. P. II. n. 47.

b) Hic quae Stanislaus Sarnicki in Longin. Annal. Pol. T. II. L. IV. p. 978. de iis tradit adiicienda mihi visa sunt: Iornandes vero Vandalorum sedes describens dicit per vniuersam regionem, vbi nunc colonia eorum est, sparsos fuisse. Ità enim Vandaliae limites describit: „Vandali, „inquit, ab oriente habent Gothos, „ab Occidente Marcomannos, ad „Septentrionem Hermunduros, a „Meridie Istrum. Et alio in loco: „Ad Vistulam flumen Vinidarum „natio populosa consedit. Quo„rum nomina licet nunc per varias „familias

bo, me vix induci potuisse, vt *Krantzium* citarem, praeiudicii cuiusdam, quod contra eum plerique habent, caussa. Ideo autem eum odisse videntur, quod refutare nequiuerunt; atque propterea, quod *Cluuerio* aduersabatur, ex fide dignorum scriptorum numero eiicere tentarunt. Ad finem vero iam properaturus, sententiamque meam multis aliis auctoribus firmaturus, non dubito locum quendam ex exordio ejus allegare. Dicit autem ille: „certissimum argumentum vnius gentis secuti, linguam: „quae in Russis, magna vtique gente, Polonis, Bohemis, „Dalmatis, Istris, et *in nostris* Vandalis, vna est sub qua„dam varietate: „ orta nimirum ex diuersitate dialectorum. Annalibus enim Polonorum, Bohemorum, Dalmatiorum, vt videbimus, cum *Alber. Krantzii* sententia consentientibus, cur ei omnem fidem denegare debeamus, non video.

Num quis etiam sibi persuadeat, *Ioan. Auentinum* (editionis anno 1508.) seu *Wolfgangum Lazium* (editionis 1546.)

 qui

„familias et loca mutentur, princi„paliter tamen Slauini, et Antes „nominantur.„ Ne autem aliquis in nominibus Vandalorum, Vinidarum, Venedorum ludat, *Procopius* nobis suo testimonio luculeuto omnem scrupulum eximet, „Got„thicae, inquit, gentes multae qui„dem, et aliae prius fuere, quam „nunc, omnium autem maximae ac „potissimae Gothi et Vandali et „Visigothi et Gepides, jam dudum „et Sarmatae et Melanchlaeni appel„lati. Sunt et, qui Geticas gentes „has vocent, quae omnes nomini„bus quidem inter de differunt, „caetera conueniunt. Nam et albi „sunt omnes corpore, flaui coma, „proceri quoque, et aspectu probo, „legibus item eisdem vtuntur, simi„liter et Arianae omnes fidei &c. „*Plinius* etiam Vandalos Sarmatas „expresse vocat: quidam, inquit, „haec habitari ad Vistulam vsque „fluuium, a Sarmatis, Venedis, Scy„tis, et Hyris, tradunt &c. „ Ideo Vandali fortiter lege Symachiae cum Quadis contra Antonium Imperatorem in illa pugna dimicarunt, quae accidit centum et aliquot annis post Christum natum. Quod si autem alicubi remote sub arctoa regione habitassent Sarmatae, non video caussam, quae eos ad pugnam tam asperam impulisset cum Romanis.

qui ambo, non vt *Krantzius* e Vandalorum gente erant, voluisse captare beneuolentiam vel gentis Venedae, vel istius supra memorati Scriptoris natione Vandali? (*Kranc* enim in Slauonico idiomate significat torneatorem) Demonstrat autem is *Lazius* a) in opere de migrationibus gentium, Vandalos locutos esse Slauonice. Iam nonne ratio ipsa nos docet, fidem habere duobus auctoribus, qui argumenta proferunt, tam solida et clara, quanta *Cluuerius* nunquam ad sententiam contrariam probandam, potuit adducere?

Transeo iam ad *Adamum Bohoritz* Slauum etiam, patria Carnum (*Kraina* Venedice est *Marchia*.) Ita autem auctor: b) „Quotquot, (ait) hactenus historias conscripse-„runt, et in iis gentium origines et mores rimati sunt, „omnes in eo consentiunt Henetos, Venetos, Vindos, „Vindilos, et Slauos eandem, vnius eiusdemque esse ori-„ginis gentem. Omnia haec epitheta a frequenter et sae-„pe mutatis sedibus illis conueniunt.„ Fateor me non magis quam *Schoenlebenium* istis testimoniis fidem habuisse, nihilominus tamen ad peregrinos recurrere opus est auctores, qui diligentem operam historiae impenderunt, quales sunt epitome *Blondi*, apud *Aeneam Siluium* c) *tum Muratorius* in Thesauro, aut *Pasinus* d) in Dissertatione vbi Vandalos Illyrica lingua locutos probat. Adde his *Ioannem Gradonicum* e) in Vindiciis, multosque alios Auctores.

Proinde jam audacter affirmare licet, recentiores auctores antesignanum habere *Cluuerium*. Is autem non solum ideo est reprehendendus, quod falso, et ex praecon-

cepta

a) Lib. XI.
b) *Adam Bohoritz Aret. horul. praefat.*
c) Lib. I.
d) pag 6.
e) C. IV. n. 23.

cepta opinione affirmauerit, Vandalos esse Germanos, cum nullum neque antiqui, neque vel medii aeui auctoris testimonium potuerit in medium adducere; sed etiam, quod ratione aliarum gentium errauerit, quemadmodum praeclarus auctor *Conradus Samuel Schurtzfleischius* in Dissertatione de Burgundionibus ostendit, vbi habet: a) „*Procopius* sua aetate Burgundiones proxime Thuringos „collocauit, quod eo interpretatur *Philippus Cluuerius*, vt „confirmet, tunc temporis in Cattorum, quos Hessos ex„ponit, agris fuisse commoratos. Quoniam vero am„pliores quondam Thuringiae fines fuerunt, atque ii nunc „sunt, difficile probatu est, quod Cluuerius affirmat. „ Et reuera longissime antiquitus protendebatur Thuringia, cum tota Franconia et regio ad Rheni vsque ripas, teste *Schoetgenio*, olim ejus finibus contineretur.

Idem auctor inferius in notis verba memoratu digna adiecit: „Talem merito suo hic et infra notamus *Philippum* „*Cluuerium*, b) virum semper *intempestiue audacem*, apud „quem adeo non est momentum huiusmodi carminum, „vt reiiciat quoque insolidum omne, quod proditum est, „de migratione Gothorum ex Scandinauia, vnde et ab in„signis iudicii viro *Hermanno Conringio* c) de originibus „Germanorum, de statu Helmstadiensi, castigatur. „ Sed confer adhuc notam paginae decimae quintae, vt liqueat, quantum aduersetur *Cluuerii* auctoritati.

Putarem hoc satis esse, sed si vis plura doceri, inuenies apud *Georgium Hornium* in origine etiam gentis Saxonicae qui. d) „Vnde, ait, autem illi Saxones et Angli ori„ginem traxerint, nunc paucis exponendum est. Priscae

 „illo-

a) pag. 8. *not. d.*
b) pag. 13.
c) C. V. p. 65.
d) pag. 173.

„illorum sedes ad sinum Codanum et Albim fuerunt. *Ta-„citus* Fosos appellat, qui *Ptolemeo* et aliis Saxones. Et „quia nemo praeterea Fosorum meminit, *Cluverius* „suspicatur, pro *Fosis* legendum Saxones, prima syl-„laba *sa* prorsum omissa x, et n, in F, et S, mutatis. „Quod perinde est, ac si ex Choppino Platonem facias, „longe euidentius pro Fosis legas Sosis, solo F, in vici-„nam litteram s, mutato. Sassi enim vel Sossi hodieque „ibi appellantur.„ Video mihi abunde de *Philippi Clu-verii* erroribus dixisse, iam ad res ipsas a Vandalis gestas in vniuersum excurrere decreui.

Iam vero, vno ordine et serie Chronologica, repetamus ea, quae Vandali, et in auitis eorum sedibus, et post deuictas a Belisario in Africa, saeculo sexto, eorum colonias, gesserint.

Anni.

BREVIARIVM RERVM VANDALICARVM.

Anno aerae Christi I. Berich Rex Gothorum, iuxta *Iornandem* Vandalos pepulit.

171. Vandalos iam irrupisse in Pannoniam superiorem colligitur, ex eo, quod refert *Iulius Capitolinus* de *Marco Antonino Philosopho*, a) et *Paulus Diaconus* b) in historia Miscellanea eum, Pannonias a Marcomannis, Sarmatis, *Vandalis*, simul etiam Quadis oppressas seruitio liberasse.

Porro Vandali victi sunt sub Aureliano: de qua re videndus est idem *Dexippus*, quem *Iornandes* laudabat. Locus *Dexippi* Graece superest Tomo I. Byzantini corporis p. Venetae edit. 5. seqq. sub finem horum excerptorum. „Vandali sub Aureliano omnibus copiis sunt sepa-„rati, itaque Legationem ad Romanos decreuerunt.„ Iam

a) *In Antonino p.* 17. b) *Paulus Diaconus in Miscell.* l. 19. c. 16.

Iam de loco et ſitu vbi habitabant: „reliquus Vandalorum „exercitus, Romanorum Imperatore commeatum prae-„bente ἐπί τοῦ Ἴςρου ad Iſtrum vſque ſcilicet ſuperandum, ſic „ἐπ οἴκον ἐκομίζετο, ad ſedes domeſticas rediit. Igitur trans „Iſtrum vel Danubium ſedes habebant jam hoc tempore.„

an. 332. Vandali Sarmatae a Conſtantino M. ſubacti, ſedes in Pannonia accipiunt. Teſtatur *Euſebius,* a) et *Hieron.* in Chronico; *Anonymus,* et *Idatius* habent Sarmatas, alii Vandalos, alii bifariam appellant et per varia Rom: Imperii loca diſtributos eſſe aſſerunt.

382. Longobardi e Scandia, inſula Oceani ſeptentrionalis, egreſſi, Vandalos Iborea Duce et Albone vicerunt. *Proſper in Chronico.* Legimus apud notiſſimos auctores, Miſislaum, ſeu Micislaum Regem Vandalorum, iis in regionibus, quas nunc Polonia continet, filium Wiſimiri, patrem Radagaſti, hoc tempore extitiſſe, 46 annos regnaſſe, et obiiſſe ſeptimo anno poſt partam victoriam, hoc eſt anno 388.

383. Oſtenditur hoc loco, non omnes Vandalos e patria abiiſſe, quoniam illi, qui remanſerant, cum Longobardis anno ſequenti conflixerunt.

406. Radagaſt Rex (confer *Zoſimum,* b) *Proſperum*) a Stilicone euocatus, Italiam inuaſit, ab eodem dolo circumventus, occiditur.

407. Vandali, ſub Rege Godigisclo, penetrauerunt in Hiſpaniam; Godegisclum in Hiſpania ſecutus filius Modogisclus, dein Gundericus et alii.

408. Ante mala vltima Vandalis, Duce Beliſario, a Romanis in Africa inflicta, memoriae aliqua de iis mandauit *Gabriel Bucelinus* Monachus Weingartens: cum dicit: „Quan-

409. „to

a) Lib. VI. C 6.
b) Lib. III.
c) pag. 18.

„to feruentiores in solida religione propaganda se exhi-
„bent Germaniae et Galliae Reges, tanto vehementiores
„in eadem proterenda sunt Trasimundus Vandalorum
„Germaniae populorum (vti ipse putat) in Africa Rex,
„eiusdemque apud Teutones patruelis Alaricus, Rex He-
„rulorum Megapolensium Princeps.„

An vero possumus clarius hoc testimonium expectare, siue ad populum Vandalicum ipsum respiciamus, siue ad originem Domus Megapolitanae, quam patet esse ex antiquissimis? Licet enim aliae etiam familiae non minus sint antiquae, eae tamen vel aduentitiae sunt, vel germanicae.

Si autem Alaricus gente Vandalus et de stirpe regia fuit; si orti ab eo reges et Duces Megapolitani seu Obotritarum semper pro Slauis habiti fuerunt; et cum omni populo suo Slauice locuti sunt, quod inter omnes constat; si demique posterioribus tantummodo temporibus Germanorum armis et Henrici imprimis Leonis victi, tandem inter Germaniae principes sunt numerati; quis non videt, etiam Trasimundum Vandalorum in Africa regem, Alarici patruelem, cum fuerit eiusdem stirpis, eiusdem etiam debuisse esse gentis, nimirum Slauicae, et eodem vsum sermone patrio, scilicet Venedico? Igitur non fuit germanorum.

an. 410. *Cracus* magnis Vandalorum copiis cinctus Galliam inuasit, et tandem Neumasi certamine succumbens, prope Aureliam interiit. Non igitur omnes cum Godegisclo Rege Vandali in Hispaniam profecti sunt, sed magna eorum pars in patria remansit, vti mox clarius patebit. Sed de expeditione Craci legatur *Riuandri* a) Chronic. Thu-

a) pag. 19.

Thuringic: vbi ita id explicant; „Diſſidiis inter Fran-
„cos, Sveuoſque ortis, Sveuiſque ob magnam Francorum
„in Gallia potentiam mala ſibi argumentantibus, Wanda-
„los ipſi contra Francos excitarunt, qui vltimo huius
„anni, die Decembris, Rhenum cum exercitu ter centum
„millium hominum tranſierunt. Wandalis autem Rex
„erat Carocus, (Crocus aliis multis, vel Croco) ſiue
„Gerich, atrox Tyrannus, qui hanc gentem traduxit per
„Sveuos, Saxones Miſnicos, Thuringicos et Haſſos,
„vſque ad Rhenum, ibique Moguntiam, Spiriam, Treui-
„ros, Metium, Amianum, Tornacum et Gandauum de-
„vaſtauit. His *Wandalis* vero ſiue *Wendis* multi ſe adiun-
„xerant Thuringorum Cattorumque. Tandem Rex Ca-
„rocus (Craecus) anno 410. (*Riuandro 412*) in tractu Are-
„latenſi a Romanis fuit captus et occiſus.„ quem iam
ſupra diximus inter Deos hinc relatum.

Vandali a Beliſario victi, et eorum regnum deletum an. 551.
eſt. Adiicit tamen *Anonymus* a) de S. Sophia inter By-
zantinos: „In Beliſarii locum Salomon dux exercitus
„miſſus, qui cum non valeret ea, quae Beliſarius para-
„verat, tueri: omnia Vandalis conceſſit.„ Reuera Ano-
nymus annum non adiecit.

„Idem auctor, qui forte eſt *Riuander*, b) haec habet: an. 806.
„Teſtamentum hoc anno condit Magnus Carolus et regna
„inter filios diuidit, comitiis in Diedenhofen celebratis; ceſſit
„Ludovico Hiſpania, Gasconia, Aquitania, Gallia Nar-
„bonenſis, Alpes &c. *Pipino* Italia, Iſtria, Dalmatia, Au-
„ſtria, Raetia, Sveuia, Bauaria; Carolo autem primo-
„genito Gallia, Rheni tractus, Friſia, Franconia, Thu-
„ringia,

a) Tom. XXXII. pag. 80. b) cap. 46.

„ringia, Hassia, Saxonia, *Wandalia.*„ Si quis hic per calumniam dicat de origine tantum sermonem esse, non de gente, ei in vniuersum respondeo, fidemque do, me ipsum ei assensurum esse, si argumenta adduxerit ad probandum: 1) nullos amplius Vandalos ibi tunc temporis fuisse, id quod nunquam efficere poterit. 2) Si saltem tempus definierit, quo Venedi cum Vandalis commisti sunt; nullus autem auctor *Cluuerio* et asseclae eius *Eccardo* adstipulatur. Contra ea ego quidem ipsis contraria argumenta ex *Bucelino* oppono, quae refutare non facile poterunt; ille enim Principem nominat, necessitudinis gradum addit, rem gestam, quam nemo negabit, adiicit, et annum ipsum definit. a)

an. 880. „Sorabi, Wandali, Bohemi et alii Sclaui Thuringiam „infestant, quos Poppo Princeps Hennebergicus insigni „clade protriuit, praedamque ingentem retulit, ob id „ipsum a Ludouico Rege nostro Marchio ad fines Sorabo-„rum declaratus.„ *Chronic. Thuringic. etc. Hist, Princ. Henneberg.*

an. 924. Henricus Auceps Sorbos et Vandalos (gentem Sarmaticam, seu Slauonicam) quae magnam Germaniae partem ad Albim tenebat, domuit. Verba sunt *Puffendorfii* b) in Introductione ad Historiam Europaeam.

an. 927. Henricus contra Vandalos profectus Grunam (Gurnam id est sedem supremam) eorum Metropolim expugnauit. *Chronic. Thuringic.* c)

an. 973. A Vandalis Hermannum Marchionem Misniae occisum tradi memorat *Fabricius in Originib. Saxonic.* d)

Quo

a) pag. 54.
b) pag. 418.
c) pag. 60.
d) Lib. III. p. 403.

Quo *Adamus Bremensis* a) vixit, qui clarissime Vandalos asserit, omnes esse Venedos; verba ipsius haec sunt: „Slauania amplissima Germaniae prouincia, a Vinulis in„colitur, qui olim dicti sunt Vandali, certum quidem est, „sed post mortem Henrici Leonis in prouinciam Germa„niae redactam.„ an. 1070.

Helmoldus b) omnes sua aetate Vandalos, Vinulos, seu Vinilos, et Winithos, id est Venedos, item Slauos sine distinctione appellat. de his nominibus prolixe agit *Petrus Albinus in Chronic. Misnens.* c) an. 1149.

Henricus Dux Saxoniae, scilicet Leo, ad propagandam Christi doctrinam in *Vandalia* tres Episcopos costituit; *Chronographus Saxo.* an. 1160.

Henricus junior, qui filiam Regis Anglorum duxit (hoc est idem Leo) contra paganos, h. e. Slauos Vindelicos tantum effecit, vt ibi tres episcopatus constituerit. *Robertus de monte, in appendice ad Chronographiam Sigeberti Gemblacensis.* an. 1169.

Scimus, Chronicon *Sigeberti* inchoare ab anno 381. scriptum 876. et postea a *Roberto* de monte ad saeculum vsque duodecimum esse deductum. Sunt quidem, qui putent, nec incongrue, vti ego puto, pro *Vindelicio* legendum esse *Vandalicis*; sed tamen haec etiam nunc sub iudice lis est, an non Vindelici in Norico fuerint Vendi, Vandalique appellandi? conferatur *Constant. Porphyr.* d) d. A. I. et *Bonsinius.* Sed haec disceptatio iam a proposito meo aliena est. Ille vero per saecula eundo, perpetuam vel populi vel Regni Vandalorum demonstrat nomenclaturam.

a) Lib. II.
b) pag. 12. et aliis.
c) pag. 386. et 387.
d) c. 30. *de Administr. Imperio.*

Non ineptum fore puto, hoc loco mentionem facere aliquam *Longobardorum*, idque ob tres praesertim graues rationes. Prima ratio est, quod dicti fuerint etiam Vinili; altera, vt appareat, quam parum fidei tribuendum sit auctoritati *Pauli Diaconi*, alias dicti *Warnefridi*; tertia autem, quia Longobardi ipsam Vandaliam in coluerunt, et negotia cum Vandalis habuerunt. Qui Longobardos partem esse Vandalorum asserunt, ii sine dubio innituntur eo, quod quidam auctores *Vinilos* eos appellent; prius vero scire debemus, vtrum Vinili fuerint appellati, cum ex Scandinauia aduenirent, an hoc nomen asciuerint, cum ad Vandalos venissent? *Cl. Christius* in Dissertatione de Longobardis, a) quemadmodum mihi erat amicitia, ita et sententia hac in re iunctus est. Ait enim: „Verum „hoc alterum aeque non expeditum est, quod auctor idem „eodem capite suadet, Winilorum nomen antiquius esse, „quam Longobardorum, et quod e caeteris *Warnefridi* „dictis etiam initio capitis 1. patescit, hoc ipsum esse po„pulo partum nomen eo tempore, cum in Germaniam „reuersi aduersus Vandalos pugnarent. Hoc enim populi „vocabulum iam olim ante illa tempora celebre: illud „contra Winulorum antiquissimis Scriptoribus non aeque „cognitum erat.„

Certum est, si Longobardorum gens eadem fuisset cum Vandalis: eos istis non soluturos tributum, vt ait *Eccardus*. b) Sed ea conditione in illorum regionem admissi, cum pactis stare nollent, manus cum Vandalis conseruerunt. Alterum, quo demonstrare volunt, eandem esse gentem, argumantum, hoc est, quod quidam eos, qui tributum Vandalis soluebant, Vinilos, vel Vinulos appellant, cum Vandali ipsi etiam vocentur, Vinuli, Viniliue. Cum

a) pag. 8. n. 2. b) §. LXXXIX. 195.

iis lubentius ſtarem auctoribus, qui eos „partem Vandalorum„ appellant, quia reuera cum in Vandalia habitarent, partem Vandalorum effecerint. Duorum praeterea ſcriptorum auctoritate in iis, quae contendimus, ſumus firmati, *Helmoldi* a) nimirum et *Saxonis*, b) qui, ad probandum, Vinilos eſſe Venedos, conferri poſſunt.

Praeterea, ſi nomina priorum inter Longobardos Regum, exempli cauſſa Leth, aut Lethe, Hildeok, Gideok, Klaffo, conferamus cum nominibus antiquorum Vandaliae Regum, nullam omnino deprehendemus ſimilitudinem. Nec eam ſperare licebit; nam apud Longobardos *Lethingorum* familia, regnabat: Vandalorum autem Reges ex *Aſtingorum* erant familia. Quidquid ſit, litem nos non finiemus; caeterum verum eſt, Longobardorum Regum nomina magis conuenire cum nominibus Gothorum Regum. Nomen Walthari cum Wanthario, vel Walamir (quem Audoinus in exilium miſit) certiſſime etiam eſt Regis Gothorum merum nomen, cuius ſententiae eſt Caeſar Conſtantin. *Porphyrogeneta* c) *Paulus* vero illos a longis barbis dictos putat, *Bertius* gentem Sveuicam dicit, quod credo ex *Tacito* illum hauſiſſe, et iudicio Lectorum relinquo. Caeterum ſcimus, Longobardos aeque ac Gothos ex Scandinauia veniſſe; Vandalos vero inde non progreſſos eſſe, nec vnquam in Sveuia fuiſſe. Vide, quae dixerim, de titulis Regum Vandalicorum, quae ex ſequentibus clarius liquebunt.

Altera, cur hanc materiam attingam, cauſſa eſt, quod *Paulus Diaconus* d) Vinilos ex Scandinauia eſſe dicit. Potuiſſet hoc aſſerere, neque tamen ſtatim inde concludere

 debebat,

a) *Helmoldus* pag. 7. et 12.
b) Lib. III. p. 84.
c) pag. 74.
d) *Paul. Diaconus* Lib. II. VII. XI. XIII.

debebat, eos Germanos fuiſſe, nam quis veterum Scandinauiam vnquam accenſuit Germaniae? Quod ſi vero primo ad Cimbricam Cherſoneſum appulerunt: inde potius crediderim, Vinulos vocatos eſſe Germanos, quam illud alterum, Vinulos a longis barbis nomen accepiſſe, cum antiquo more omnes populi barbati eſſent. Itaque verius etymon videtur eſſe a duobus populis *Longis* nimirum et Vardis, nomine compoſito. Nolo tamen Longobardos Germanis eripere, id a propoſito meo abhorret, licet, *Strabo* a) et *Tacitus* dicant recens eſſe Germanorum nomen; ſed itineris rationem habebo, quod *Paulus* Longobardos feciſſe aſſerit, per Scoringam Moringam et Golandam. Omnes hae tres regiones a Venedicis vocibus veniunt, vt ſupra dixi, Scoringa vel Scoringia, a ciuitate Skorgo, Moringia eſt omnibus Pomerania; Golanda autem eſt vel hominibus vel ſyluis nudata regio; *Gola* nempe Venedice nuda dicitur; ſi ſumamus etiam litteram g, pro K, dictam, vt ſaepe fit: Kolana Venedice ſunt terrae in mare aut fluuium ſe protendentes inſtar promontorii, ſeu flexus, quales ſunt ad dextram laeuamque Rugiae: Hac *Diaconi* deſcriptione, quae incipit a Scoringia, docemur, Longobardos recta ex Scandinauia traieciſſe eo in loco, quo olim Gothi, et veniſſe ad oſtium Viſtulae, penes quod Scoringia ſita fuit. Alterum argumentum eſt, quod cum Vandalis conflixerunt; qui ſitus verus Vandalorum ſi fuerit, apparet, linguam Vandalorum Slauicam fuiſſe. Tandem, dum *Paulus* loquitur de inuaſione Longobardorum, de tributis per Vandalos ab illis exactis, atque de conflictibus Vinilorum cum Vindilis: juxta *Plinium*, nullam gentium connexionem video, niſi tunc Vinilos appellatos fuiſſe, quando in Vandalia manebant.

a) *Strab.* Lib. VII.

bant. Apparet idem ex crebra mutatione nominis Vinulorum in Longobardorum nomen et primitiuo nunquam in alienis regionibus amplius exhibito.

Tandem cum agerem de Vandalis, vix potui, vt lectori patet, quin de Longobardis etiam aliquid enarrarem, non solum ob plurimas harum duarum gentium coniunctiones, sed etiam vt demonstrarem, varias eorum migrationes, quas *Paulus Diaconus* exponit, veras certasque non esse, meamque sententiam niti auctoritate *Cluuerii, Leibnitii, Eccardi* et *Christii.* Cum enim *Eccardus* fidem non habuerit Diacono, qui de migrationibus Longobardorum, narrat: credere oportet, alios scriptores eum secutum esse in his: a) „Hos in Italia excepere Longo„bardi (puta Gothos) qui a longo iam tempore, vt vide„mus, limites Romanos nouerant. Reliquere ii patrii „Albis littus (hoc *Eccardus*, vt video. ex *Tacito* sumsit) . . . „per Vandalorum Venedorum, siue Anatarum, Gepidarum, „Burgundionum Rugiorumque olim terras in Italiam „penetrarunt.„ Id quod ex ipso *Diacono* confirmare possumus, quippe qui dicat: „et aliquo tempore posside„bant Anthabet, Balthaib, et Vurgundaib.„ b) nam sub Anthabet, Antharum regionem, vt apud *Eccardum* est, sub Balthaib, Moringiam supra Baltham, et sub Vurgundaib, Burgundionum ad littus Balticae iacentes terras intelligi clarum est. Sed redeundum nobis est, vnde digressi sumus.

Nostrum, pro fide Historiorum, qui nullo studio partium ducuntur, fuit, superius de *Cluuerio* omnia dicere, quae primum cognitio dialectorum matricis linguae Slauonicae nobis praebebat; deinde ea indicare, in quibus *Cluuerius* sibi ipsi non constat, tandem, quae plurimi auctores

a) pag. 446. b) C. XIII.

res de illo sentiunt. En igitur iam vnum ex eius gravissimis adversariis, in quem incidi, *Hugonem Grotium*; adiectis autem annotatiunculis, quas pro consilii nostri ratione fecimus, locum insignem de Longobardis, qui *Hugonem Grotium* cum *Cluuerio* committit, iudicio Lectoris obiiciemus.

Annotatiunculae ad locum, vbi Grotius pro misit probare originem Vandalorum ex Scandia, promissis autem non stetit.

Ait ille ex *Procopio*: a) „Gothicarum nationum „nobilissimas Gothos, Vandalos, Visigothos, et Gepidas, „quos vetustas Sauromatas et Melanchlaenios vocabat.„ Nec in *Procopio* aliquid de Scandia, nec in *Grotio*, tametsi hic in indice promittat.

De Scandia, vel de Vandalis &c. nec hac in pagina b) aliquid inuenitur.

Scriptor Chronographicus ineditus c) ait: „Gothos et „Danos, imo simul Gepidas ex ea (Scanzia *Iordanis* vel „*Iornandis*) antiquitus exiisse legimus.„

Sed quae de Vandalis tradere et hic *Grotius* promiserat, nondum legimus. Obseruauit tamen: ultimam Iutiae partem esse Vendelam; *Saxoni* Vindilam, aliis (quos non citat) nunc Wendsussel, quae a Vandalis insessa est, vnde mare adiacens Vendelae mare dicitur a *Bremensi*.

1) De Iutia quidem non inficior, sed non ad ostium Vistulae, vbi Gothi Vandalos inuenerunt. Tamen de Scandia silentium, nec Iutia est Scandia. A Vendela autem Iutiae veniunt forsan Vendili quidam, non Vandali.

2) Hoc est caussam Vinilorum agere! litteram i, in e, mutare, in locum alterius i, ponere d, et tertio loco addere e aliud oportet, vt Vinili Vendili efficiantur, sed Vendeli

a) pag. 5. b) pag. 6. c) pag. 10. proleg.

Vendeli vel Vendſuſſel nonne propius conuenit cum Vendis, quam cum Vandalis? At de hiſtorica probabilitate actum videtur, ſi hac licentia vti licet, vt ex ſola nominis ſimilitudine vnam efficiamus nationem. Eodem modo *Grotius* probare poſſet, Vendos ſeu Venedos eosdem eſſe, cum Vandalis.

Nec hoc negligendum eſt, *Procopium*: a) „qui optime noſcere potuerit et nouerit Vandalos, eos non minus, quam Gepidas annumerare Gothicis nationibus: „dicereque, ipſis eſſe linguam Gothicam, et eos pariter „cum Gothis e patria ſede ad Maeotidem paludem venisse. „

Nec hic *Procopius* aliquid de Scanzia habet, et vt ſupra dixi, Vandali minime cum Gothis ex patria egreſſi ſunt, ſed tam ad Viſtulae oſtium quam ad Mariſſum fluvium in Dacia pugnarunt, vtrobique victi.

Audiamus etiam vacillantem ſententiam *Rudolphi Rhotii* in Attila ſuo b) de *Procopio:* „Procopius mox iterum in Gothicorum libris Wandalos populis Gothicis acenſet, eosque pariter cum Gothis a patria ſede ad Maeotim paludem veniſſe, commemorat. Haec autem varia „nomina diuerſis locis atque temporibus nunc his, nunc „illis hominibus dari ſolita *tractu temporis ita inualuerunt*, „vt vix ac ne vix quidem certum temporis nomen tum infallibilisque ratio factae huius diuerſitatis hodieque inveſtigari queat. „

His addi poteſt et hoc, c) *Iornandem,* vbi Scanziae recenſet populos, etiam Vinouiloth ponere, quam vocem ſignificare poſſeſſionem Winolorum, pie credit *Grotius;* Winilos

a) p. 23. *proleg.*
b) pag. 1.
c) p. *ead.*

los autem *Paulo*, Vinulos *Bremensi* eosdem esse cum Vandalis, Vandulis, extrusa tantum more Germanorum littera d.

Frustra hic *Iornandes* adducitur; nam saepissime de Scandia, saepissimeque de Vandalis verba faciens, nullibi omnino dicit aut probat, vnde venerint, et quae gens fuerit. Verum hoc quidem est, eum de *Vinouiloth* loqui, sed an inde Vandali confici queant, de eo lectores judicare sino. *Grotius* fieri posse affirmat, sed antea necesse est ex pentesyllabo trisyllabum fieri, nec tum Vandalos habebis. Ex Vindilis contra (quos *Plinius* male vt aiunt, enunciauit) litteram d, elide, et habebis Vinilos, non tamen Vinouilothos, minime Vandalos. Si quaestio esset de Longobardis, tamen illa applicatio satis vaga esset. Ad minimum tamen ex Scandinauia egressi sunt Longobardi, licet ignoremus vtrum eo nomine insigniti inde exierint, an, cum initio essent sub dominio Vandalorum, hoc postea acceperint nomen. Sed, quaeso, cur tanto molimine opus erat, cum postea *Grotius* eodem Vinouilothorum nomine contentus, Loth dicat significare possessionem, idque ipsi credere nobis suadeat. Superius Lectores rogaui, vt iudicarent, nunc vt decernant, obsecro.

Traditum est, a) *Constantinum Porphyrogenetam* dicere, Gothicae originis esse Gothos Gepidas et Vandalos, et ex Gepidis esse Longobardos.

Ita ego sentio, Longobardos quidem a Gothis, sed non a Gepidis descendisse, neque a Vandalis. Gepidae quidem nomen suum a *Gepanda*, pigritie, adepti, nunquam hoc nomine in Scanzia sunt designati, sed post discessum demum Gothorum, quos tardius sequebantur, et cum ad Vandalos in hodiernam Pomeraniam venissent,

a) p. 29. *proleg.*

ſent, tunc nomen Vinulorum potius, quam Vinouilo-thorum acceperunt a gente, inter quam commora-bantur.

Veteribus credendum eſſe, ait *Grotius*, a) Vandalos Oſtrogothos Weſtrogothos, Gepidas et Longobardos omnes Scanziae et quidem ei parti, quam Sueones tenent, ſuam debere originem.

Sed quinam hi ſunt veteres? quod ad *Dexippum* attinet, illum apud *Iornandem* nil de Scandia habere, videbimus.

Porro narrat b) Gepidas partem Gothorum, teſte auctore *Chronographico* inedito, ex Scanzia oriundos, antiquiſſimis temporibus cum Gothis ad Viſtulam conſediſſe, inde victis Burgundionibus ad Danubium conceſſiſſe, teſte *Procopio*, et tandem, Martiano imperante, Hunnorum ſedes in Pannonia occupaſſe.

Nulla hic de Vandalis mentio fit, niſi in verbis: „victis Burgundionibus„ qui pars Vandalorum erant.

Ex *Iornande:* c) „Nominis Gepidarum origo a Gepanta piger, quia vna ex tribus nauibus cum Berichio „Scanzia egreſſis tardius reliquis aduenerit, . . . primum „in inſula Viſelae, amnis vadis circumacta, habitarunt.„

Nec hic, vt promiſſum erat, Scandia, patria Vandalis tellus aſſerta inuenitur.

Tandem praeter eas, quae praecedunt, paginas *Grotii,* etiam perlegi 7, 8, 9, 12, 13, 14, 16, 24, 25, 26, 28, 29 qua in re ſi mihi quis fidem habere noluerit, eadem opera defungatur; tamen nihil omnino inueni, quo probari poſſet, Scandiam vel Scandinauiam fuiſſe nidum

 Vanda-

a) p. *ead.*
b) p. 33. *proleg.*
c) pag. 635.

Vandalorum. Hanc vero gentem multo antiquiorem fuisse, quam Berichem, regem Gothorum, exinde patet, quia is Vandalos jam ad sinum deprehendit Venedicum; non vero Codanum, quia hic oppositus est Chersoneso Cimbricae, et a dextra sinistraque fluminis Albis, Vistula autem sinui Venedico.

In vniuersum vero Grotius moleste sedulus est in origine Vandalorum e Scandinauia deducenda; sed duae primum quaestiones secernendae erant; an nidus Vandalorum sit Scandia, id quod probare nullo modo potuit; deinde vero an Vandali sint Gothi. *Procopii* auctoritate persuasus, Vandalos esse Gothicam gentem, decreuit insuper, esse ex Scandinauia oriundos. Sed jam ex aliis rebus patet, Grotium, plus valere arte et doctrina politica, quam historica fide.

Eadem ratione duobus tribusue operis sui locis insurgit contra *Cluuerium* ejusque de antiqua Germania librum. Quanquam enim, nescio quo timore fractus, nomen Grotii tacet, tamen saepius in eum inuehitur, illumque temeritatis reum facere conatur. Sed iis auctoribus, ex quibus hauserat *Cluuerius*, non vero ipsi indignari debebat; tunc enim demum licebat reprehendere *Cluuerium*, si opiniones ejus aliorum scriptorum auctoritate frangere poterat. Quilibet enim idem faciet, qui proborum scriptorum fide nititur. Sed addamus verba ipsa *Cluuerii*, a) ex quibus apparebit illum auctoritatibus non destitui. „De „Langobardis mira fabulantur medii saeculi scriptores, „*Prosper*, *Diaconus*, *Sigebertus* aliique; quasi antea in „Scandinauia Oceani insula, (Noruagiam ac Sueciam esse „cum reliquis ad glacialem vsque Oceanum regionibus „suo loco ostendetur,) Winili dicti fuerint: postquam „vero

a) Lib. III. C. 26. p. 103.

„vero ſub tempore Theodoſii Imperatoris in continen-
„tem Germaniae trajecerunt, Longobardorum nomen
„ſortiti. Quae cum probe cum veritate congruant, cui-
„vis diſpicere promtiſſimum eſt, ſi quidem longe ante
„Theodoſii tempora Longobardorum meminit Ptolomae-
„vs, vt ſupra oſtenſum; et ante Ptolomaeum Tacitus,
„item ante hunc C. circiter annis Strabo ac Paterculus, qui
„omnes in ea ſede eos collocant, quam modo circum
„ſcripſi. Verum commune hoc eſſe video omnibus iſtius
„ſaeculi ſcriptoribus, gentes ſibi ignotas ab vltimo vſque
„ſeptentrione adducere, mirificasque circa migrationes
„earum effingere fabulas; quarum Diaconi de Longobar-
„dis et Iornandis de Gothis Libri ſunt pleni. Noſtri ſae-
„culi homines vſque eo hujusmodi nugamenta deliranti-
„vmque ſomnia probarunt, vti ad eorum exemplum et
„ipſi Alemannos Francos atque Saxones indidem deducere
„haud dubitarint. Sed horum ineptiae ſatis ſupra confu-
„tatae ſunt. Proſperum ac Diaconum de Longobardis
„temporum ratio mendacii ſeu fabuloſitatis arguit. De
„Gothis ſuo loco poſt videbimus.„

Pagina viceſima tertia ad *Iornandis* fidem et auctori-
tatem prouocat, qui Gothicus ſcriptor quantum ei opi-
tuletur, jam examinabimus.

Enarrat ille a) nomina gentium, quae erant in Scan-
dia, ex quibus Grotius ſolos eligit *Vinouilothos*, vt probet
Vandalos e *Scandinauia* veniſſe.

Pagina b) ſequente diſerte *Vandalos* nominat: Si *Ior-
nandes* eosdem intelligeret, quos *Grotius*; vel ſupra jam
Vinouilothos appellare debuiſſet Vandalos, cum vnius alte-
riusque populi faciat mentionem, vel Vandalos cis mare
habitantes Vinouilothos etiam appellare debuiſſet.

a) pag. 7. et 10. b) pag. 11.

Iornandes: a) „Dani, inquit: ex ipsorum (puta Go„thorum) stirpe progressi Erulos propriis sedibus expule„runt: qui inter omnes Scanziae nationes nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant praecipuum. „

Danos Gothis ortos esse, dubitari nulla ratione potest. Paullo deinde etiam pergit: b) „vnde mox promouentes „(Gothi) ad sedes Vlmerugorum, qui tunc Oceani ripas „insidebant: „ (facile apparet Dexippum et Iornandem mare Balticum appellare Oceanum, vt infra,) „castra „metati sunt eosque, commisso praelio, propriis sedibus „pepulerunt. „

Ex dictis *Iornandis* noscimus gentes, quas Scandinaviae suae ipse non annumerat, Olmerugos Vandalosque. Videmus enim Gothos opprimere gentem, quam putant in iisdem locis ortam, eamque e sedibus ejicere propriis. In primis vero *Iornandes* nos docet, vicinos isti genti Vandalos, fuisse subjugatos, quod certissimum signum est, eos diuersae fuisse originis, et hostium non consanguineorum numero habitos.

Verba vero Iornandis. „*Suis applicuere victoriis:* „ (*scil. Vandalos*) ita interpretanda. *Gothi Vlmerugios* sedibus suis expulerunt: *Vandalos* autem suis applicuere *victoriis*, id est suae genti inseruerunt, socios armorum, socios etiam victoriarum futuros. Ex quo apud peregrinos Graecos et Romanos error videtur ortus esse, vt Vandalos, quos cum Gothis in exercitu stare cernebant, pro eadem gente haberent. Quos tamen Iornandes ipse Gothus, et verae originis gentium harum omnino non ignarus, interuallo terrarum a Gothis fuisse semotos, docuit; ita vt Vandali ad mare Balticum habitarent; Gothi vero Scan-

a) pag. 10. b) pag. 11.

Scanziam transmitterent; victos porro ab iis in societatem fuisse susceptos, donec tandem, recrudescente veteri odio, in nouas inimicitias vterque populus exardesceret.

Reliquum est, vt obseruem a *Iornande* a) hoc loco mare Balticum appellari oceanum. Non habet igitur *Grotius*, cur tripudiet, quod Iornandes *Dexippi* auctoritate dicat, Vandalos ab Oceano venisse: nec putet eo argumento roborari posse opinionem suam, de Vandalis ex *Vendsussel* atque adeo ab Oceano, qui nunc Germanicus vocatur, oriundis. Ex iisdem enim scriptoribus praesertim vero *Iornande* patet, alium Oceanum hic non intelligi, nisi mare Balticum. Nam etiam *Ptolemaeum* b) addo, qui „Terminatur, inquit, a septentrione Sarmatici „Oceani sinu Venedico,„ aut *Melam*, c) qui Oceanum appellat Sarmaticum mare a Vistulae ostio incipiens. &c.

„Geberichus, inquit *Iornandes*, Helderich patre na„tus primitias regni sui mox in Vandalica gente extende„re cupiens, contra Visumar eorum Regem Asdingorum „e stirpe. . . . . Dexippo historico referente, qui eos ab „Oceano ad nostrum limitem vix in anni spatio perue„nisse testatur, prae nimia terrarum immensitate.„

Ex iis, quae *Iornandes* de Geberico et Visumaro regibus tradidit, cognoscimus, quo tempore Vandali altera vice in Dacia, nempe supra Marissam fuerint victi, hoc est saeculo quarto, Dexippum igitur, qui anno 235. scripsit, Grotius tantum laudauit, vt id, quod ipse dixerat, probaret, ab Oceano eos venisse, in quem, vt *Iornandes* addit, influit Vistula. *Dexippus* autem in *Iornande* non dicit, Vandalos esse ex Scandia; *Iornandes* vero perhibet, Reges

a) pag. 26.
b) Lib. VIII.
c) pag. 62.

Reges eorum esse ex *Asdingorum* familia. Quod eius testimonium videtur illustrari a Scriptore antiquiore graeco, *Petro Patricio*, cujus excerpta supersunt in Tomo I. Byzantinorum Scriptorum de legationibus. a) Locus ita incipit: „Venerunt Asdingi.„ &c. *Gothos* vero Reges scimus ex *Amalarum* et *Baltharum* gente illustri oriundos. Praeter Asdingos etiam fuerunt in Vandalis Lucoragi i. e. milites pharetrati, sic enim *Priscus* b) de legationibus: Venerunt et Astingi et Lucoragi in auxilium Marci. En tibi jam Lector ex *Iornande* ipso haec omnia incorrupta, quae *Grotius* in eo inuenit, praeter Vandalos in Scandinauia quos frustra ibi quaesiueris.

Dum ad finem propero, in mentem mihi venit, quinam sint secundum auctores Vinuli? *Helmoldus* c) in Chronico ita ait: „Vbi Polonia finem facit, peruenitur „ad amplissimam Slauorum prouinciam eorum, qui anti„quitus Vandali, nunc autem Winithi siue Winuli appel„lantur, quorum primi sunt Pomerani. „

A quo loco mire dissentit Assemannus, dum dicit: d) „Qui olim Vandali, postea Vinili siue Vinuli sunt dicti, „postea eorum in locum successerunt Slaui, eodem quo„que ipsi nomine Vinulorum appellati, quod Vinulorum „terras incolerent, Slauos tamen se ipsi, non Vinulos voca„bant, quemadmodum constat ex *Theophylacto Simocat„ta,* e) Sclabenos esse. „ Hic nos ignoramus, quo jure *Assemanuus* neget, Vinulos esse Slauos, dicit enim et affirmat hoc *Helmoldus,* cui hacce in re recte maiorem fidem habemus, quam scriptori longe recentiori. Etsi enim illi Slaui *Simocattae* non ipsi adhibent nomen Vinuli, quod Graeci

a) pag. 18.
b) Tom. I. Script. Byz. p. 44.
c) Lib. II. C. 2.
d) Tom. I. pag. 302.
e) Lib. VI. C. 2.

Graeci ſcriptores fere omnes ignorant, tamen inde, quod *Simocatta* ſcribit Sclabenos et ſui ſaeculi more de re aliena loquitur, non ſequitur, Slabenos ſeu Slauos fuiſſe gentem a Vinulis diuerſam. Commune nomen Slauorum comprehendit nomina peculiaria earum nationum, quae ſunt Slauicae, etſi non ſunt omnes Vinulae gentes, quae ſunt Slauicae gentes. Eodem modo Bohemi ſeu Bohemenſes Slaui et Marahanenſes Slaui et Sluſi et Sorabi ſunt Slaui, ſed non omnes Slaui ſunt Bohemenſes et Marahanenſes, et Sluſi. Sic Slaui Wilci Obodritae ſunt Slaui, ſed non omnes, qui ſunt Slaui, ſunt *Vielcy*, id eſt proceri, fortes.

Etymon originis eorum licet antiquis, Venedicae quippe linguae ignaris, ignotum fuerit, tamen apud illos ſeruatum eſt, in nomine prouinciae Maringiae, quae eſt ad mare habitantium. Certe licet alii auctores mihi non deſint, quorum partem iam comemoraui: tamen ex diverſis cauſis *Helmoldum* omnibus praefero. Primo, quia tanquam ſcriptor ſaeculi vndecimi multo propior erat antiquae traditioni, quam *Cluuerius*, Quod ſi igitur recentiores, medii aeui auctori, eique natione Slauo obiecerint, eum nationes vicinas confudiſſe: tale quidem iudicium nulla omnino ratione niti videtur. Nam cum non ignoremus, *Helmoldum*, in regionibus, magis diſſitis et antiquioribus rebus deſcribendis optime verſari, cur eum putamus non diſtinguere potuiſſe regiones, ad quas diſcernendas ſigna deeſſe nequibant, cum in media quaſi Vandalia, Lubecae nimirum ſcriberet. Praeterea nemo facile codicibus manuſcriptis aut libris deſtitutus ſcribet hiſtoriam; cumque in hiſtoria Francica ſoli Eccleſiaſtici homines tum temporis ad ſcribendum incumberent, quia vel commentarios manuſcriptos vel ſpeciem quandam ephemeridum inueniebant, neque ideo ſolis traditionibus, ſed etiam hiſtorica

auctoritate niti poteraut: simili etiam ratione Presbyter noster *Helmoldus* sine dubio nobis non dedit somnia et res ingenio suo inventas, sed quas in priscis annalibus inuenerat, vel stabilita traditionis fide acceperat. Proinde si eum voluerimus refutare, scriptores ipsi aequales opponendi essent, vel plures potius, qui alia omnia dicerent, nec fide essent indigni: tunc enim demum maiorem numerum sequi licuerit, si ea omnes narrauerint, quae cum fide historica conueniant. Si igitur Longobardi vnquam fuerunt appellati Vinuli, eo hoc acciderit tempore necesse est, quo inter Vandalos versabantur quamquam *Cluuerius* a) omnino neget, eos vnquam Vinulos fuisse appellatos, vel e Scandinauia traiecisse.

Hic, non alienum esse videtur ostendere, nationes Sarmaticas per immensas fere regiones propagatas esse, et auctores Romanos, cum istarum amplitudinem ignorauerint, Germanis eos annumerasse. Quia euim fortissimos esse Germanos experti erant, plures gentes pluresque eis vires tribuerunt. *Ptolemaeus* autem, qui Graecus erat, neque, vt *Ouidii* verbis vtar, Ausonii militis arma timebat, in loco statim adiecto duas res nos docet: „Incolunt (inquit) Sarmaticam gentes maximae,, (nec *Iornandes* quamuis velit Gothorum imperium extendere, negare potuit, Vinidarum maximam nationem fuisse:) *Ptolemaeus* vero addit: „Venedae apud omnem Venedicum sinum, „et super Daciam Peucini et Bastarnae.„ Duo, inquam, ex hoc loco discimus. Primum, quod dicit, Venedos occupasse totum sinum maris, cum enim dixisset, Sarmatas esse *maximas* gentes, absorbuit, vt ita loquar, Vandalos in maxima *gente* Venedarum. Qui vero si per totum tractum

a) Lib. III. c. 26. pag. 103.

tractum Venedici sinus habitauerunt, Vandali necessario iis comprehenduntur. Alterum, quod affirmat, Peucinos et Bastarnas esse Sarmatas, de quo cum *Tacito* non certo constaret, eos Sarmatis quidem non ademit, sed iudicium tamen suspendit. *Ptolemaeus* autem *Taciti* dubitationes soluit, certo affirmans, Sarmatas eos esse, (id quod ex Graecis scire poterat,) qui Olbiae et ad Borysthenem fluuium habitabant. Peucini vero olim tenebant insulam prope Tomos, in ponto Euxino, et in ipso Danubii ostio. Statimque videbimus, eadem cum *Ptolemaeo* sentire *Eutropium* et *Iulium Capitolinum*.

Licet vero hi auctores mihi ad manus sint, malo tamen *Eccardi* a) locum, quia is sibi ipsi non constat adducere: „Is Rhoxolani (inquit) a Rha (Rhos) fluuio „orti, ad Tyram iam palabantur, et vsque ad sinum Fin„nicum (hoc est Venedicum) protensi erant. Secus eos „Alani. Peucini vero insulas, quas Ister Ponto Euxino „influens efficit, incoluerunt. Vandalos his addit *Eutro„pius*, quos et *Capitolinus* b) alibi inter inimicos *Marci* „refert, quibus et Sarmatas Iazyges nempe, adiungit.„ Ita et Rasci, qui sunt Russi, seu Roxi, id est Roxolani, S, pro X, supposito, ad gentem Venedicam sunt referendi. En rursus duas nationes per celeberrimos auctores a dubitationibus *Taciti* vindicatas, Iazyges et Vandalos. Quod vero ad Roxolanos (Russos) adtinet, scimus, ex ratione Alphabeti Graeci litteram S, occupare locum litterae X; sed hic praecipue id agitur, vt appareat Vandalos semper fuisse appellatos Sarmatas, quia etiam ipsi Russi sunt Sarmatae.

Pergamus in adducenda ad refutandos aduersarios auctoritate scriptorum. Sic vide in Poetae *Prudentii* car-

a) pag. 431.   b) *Capitolinus in Marco* c. 11.

mine contra Symmachum, a) iungi etiam Vandalos cum Sarmatis, ille enim canit.

„Denique Romanus; Daca, Sarmata, Vandalus, „Hunnus;„ saepissime autem apud auctores, *Eusebium*, *Eutropium* et *Prudentium*, cum Sarmatis Vandali coniunguntur. Quia antiquitus Vandali occupauerant tam Thorunium, quam Iunovladislauiam, et Culmam, omnes supra Vistulam, Thorunium imo ex altera ripa Vistulae situm, adeoque nomen suum dederunt etiam fluuio, vt a plurimis Vandalus vocetur, cum *Ptolemaeus* illum Istulam, alii vero Vistulam dudum nominauerint. Vistula autem Sarmatiam secat. Non sine ratione igitur Poloni (verba sunt haec *Lomonossiadis* b) Slaui sibi Sarmatarum nomen sumunt; imo plane persuasum mihi est non minus ac *Cromero*, Slavos et Vandalos in vniuersum nullos alios esse, quam antiquos Sarmatas.

Iam vt promissis starem, finem operi facere institueram; sed hoc praemium ex laboribus percipimus, vt disquisitionum nostrarum diligentia fructus nobis producant nouos et optatos studii nostri. Plures enim possum in scenam producere scriptores, praesertim vero non possum non laudare rarissimum *Matthiae Stryikowski* librum, qui inscribitur: „Chronicon Poloniae, Lithuaniae, Samogitiae, „et totius Russiae Kiouiensis et Moschouiticae in folio, „Regiomonti 1582. impressum.„ Is enim Herulos ex superiore parte regionis inter mare Caspium et Maeotida paludem sitae venisse, Lithuaniamque inundasse affirmat. Iam vero *P. Albertus Koislowicz* c) S. I. in opere, quod elegantia latinae orationis commendatur, et inscribitur, *Historiae Lithuanae partes duae*, (quarum pars prima Gedani in quarto maiori, anno 1650. impressa) Lithuanos,

a) Lib. II. pag. 87. b) Gallic. edit. p. 10. c) Lib. I. c. 5.

Lithuanos, Liuones, Prussos, et Samogitios ex Herulicis Geticis, et Alanicis gentibus paulatim commistos deriuat: cui etiam videtur adstipulari *Olaus Hermelinus*. Ex his plura nobis iam clarius patebunt. Nam, si Herulos communi auctores consensu cum Vandalis eosdem esse dicunt, sequitur, vt hi e partibus Orientis, non vero Scandia septentrionali emigrarint. Aut si Prussi sunt reliquiae Herulorum, necesse est, Herulo-Vandalos Venedice fuisse locutos, siquidem auita Prussorum lingua, nulla alia, nisi Venedica sit. Vltimo loco obseruamus, sedem Herulorum primariam fuisse supra Macotidem, indeque liquet, Herulo-Vandalorum migrationem ad ripas Vistulae, recta via, nec vllo modo, e Scandinauia factam esse. Moneo paucis Lectorem, vt Prussos illos antiquo et Venedico, ex quo genere sunt, nomine vocare ne dubitet; Borussorum enim nomen fictum et nouum est, iique, qui Borussos quasi ad Russos sitos dicunt, falluntur: cum inter Prussiam Russiamque duae, caeque magnae intercedant prouinciae, Liuonia et Samogitia. Huc facit *Lomonossouii* a) testimonium, qui ex antiquissimis Russorum Chronicis ea, quae sequentur, hausit „vlteriusque in meridionali littore „maris Baltici sunt Curlandii, Samogitii, Lithuani, anti„quorum Borussorum posteri et Vandali Megalopolitani, „qui omnes a Slauis veniunt, licet sermo eis sit diuersus. „Vno verbo si quis considerauerit expeditiones, a Slauis „Russis in orientem factas, effusos eos videre licebit, non „solum in dimidiam Europae partem, sed et in Asiae „regionem satis magnam.„

Supra iam dixi, cum Herulo-Vandalis sese coniunxisse alias nationes, idque nostro adeo tempore clarissime patet.

a) edit. Gall. pag. 5.

patet. Hoc enim et linguae, licet cum Venedica commistae, demonſtrant, et Samogitica prouincia documentum prae ſe fert originis ſuae a Getis, qui poſt Gothorum ſub Berigio diſceſſum, remanſerant, vt notum eſt ex hiſtoria. Dicti enim illi ſua lingua ſunt, auctore *Iornande*, Gepandae, et hi veri ſunt Samogeti aut Samogepidae; quia Venedice hodienum adhuc vocantur Zmudzi, quod nihil aliud eſt, quam Gepanda, id eſt, remora, vide Dictionarium *Cnapii*; a) ſic Samo, quod antecedit, eſt Slauicum, itaque, Samogetta ſonat Soligettae, ſeu ſoli habitatores, ſeu ab aliis linguae differentis vſum habentes.

Priuſquam finiam, de Herulis, dicam. Quos Graeci appellant Herulos vel Erulos, Neſtor, Theodoſius Ieremias, Iſidorus, Ruſſici Auctores, Varlos, Vagres et littera a in u mutata, Vugros vocauere, qui Rugiae inſulam occuparunt, teſte Helmoldo, et Pruſſiam vt Lomonosſouius affirmat. Auctores eos vno ore Venedos vel Slauos eſſe aſſerunt; cumque eandem gentem efficerent cum Vandalis, manifeſtum eſt, fuiſſe eos Sarmato Venedos. Coniunctio, quae iis cum Ruſſis interceſſit, clarior ex eo fit, quod cum ſtirps Principum Nouogardiae imperantium deficeret, neglecta, quae Kiouiae regnabat, familia, Nouogardienſes, ſuadente quodam ex proceribus Hoſtomili, Legatos miſerunt ad Vagrios, (Herulos) qui principes eorum Ruricum Sinieum et Truborem inuitarent, vt in Ruſſiam profecti imperarent, Quae igitur inter Vandalos et Herulos et inter Herulos et Ruſſos interceſſit coniunctio, ea eiusdem eos gentis fuiſſe oſtendet, nam Ruſſi, plane peregrinum principem qui, eis imperaret, ſine dubio non admiſiſſent: Nomina vero horum trium Principum Henetorum ſunt mere Slauica.

Nomi-

a) pag. 627.

Nominaui et Liuoniam, quae quia finitima Samogitiae est, (confer Historiographos Liuoniae) etiam ad sinum Venedicum iacet, inde nascitur occasio de ea loquendi. Narraui hac in parte incolarum diuersa genera: praeterea in Liuonia Slauice loquuntur; serius et per equites Ordinis Teutonici demum lingua germanica introducta est. Etiamnunc duo ibi in vsu sunt idiomata, quorum vnum appellatur Estonicum, alterum Letticum. Reualiam enim incolae et hodie Danopil sua lingua vocant, et Gedanum Slaui Wodanie, w cum g, comutato, quod arcem Danis oppositam significat, a verbo antiquo Wod (arx,) et a Danie (Danis), vide *Matthiam Strubicz* a) ex Manuscripto *Iusti Diesii.*

Situm hunc Vandalorum egregie sane definit *Iacob. Spiegelius*, b) in Scholiis ad *Ricardi Bartholini* Austriadem in *Reuberi* collectione, dum ait: „Vandalorum, ceu ge„nerali gentis vocabulo, hodie continentur Russi„ (notandum, quod Lithuania maximam partem e Russis constet) „Poloni, Bohemi, Dalmatae, Croatae, vt quos „nostri Sclauonos, veteres vero nomine dixerunt Vanda„los (adiicitque suum iudicium:) Hodie quae fuerit gens „Vandalorum in vniuersum ignoraremus, nisi vernacula „Saxonum lingua hoc vocabulum conseruasset, vt inter „eos, qui olim Vandali fracto, vt fit, vocabulo, nunc „Wenden vocarentur. „

Suecos etiam auctores attingere oportet, quia sine dubio hi omnium optime maiores suos nosse debebant, eos saltem, quorum opera non plane similia sunt tuguriis Noruegicis in caligine sitis. Caussa etiam mihi est haec, quod cum mihi de Gotis, Gettis et Gepidis, dicendum fuit, oportuit me plane *Iornandis* inniti auctoritate, qui quidem

a) pag. 35. et 36. b) pag. 474.

quidem post aduentum Berichii seculo V. scripsit, *Ablavium* tamen auctorem se priorem nunc vero deperditum, tum etiam *Orosium* citauit, qui omnes affirmant, vniuersa haec nomina vnius tantum esse gentis. *Ioh. Magnus* a) autem caussam interserit, quae Gepidas retinuerit, dicens quippe: „cum mari ventisque pugnandum fuisse. item: „Gepidas cum horum ab illis facta discessio esset, Scythis „Venedisque accessisse, cumque his in Gothorum exitum „conspirasse.„ *Crantzium* b) in historia Sveuica, et ex eo *Lungwitzium* c) *descript. Reg. Svec.* obseruo existimare, prae metu ciuilis belli Gothos migrauisse, communi tunc Gothorum Svenonumque familia, id quod idem *Ioh. Magnus* affirmat. Clarissime autem ex citato loco patet, Gepandas vt superius dixi, remansisse apud Herulo-Vandalos. Nec non Sveones esse Gothicae nationis apparet. Eadem sentire videtur *Kleczewski* d) de Vandalorum sedibus, vbi similia affirmat: „Eorum sedes, (aiens) in Polonia ad caput Vistulae. Megalburgenses, Pomerani, Prutheni, Marchia Saxoniae pars.

Quod vero Vandali *Plinio* dicti sunt Vindeli, imo et Vindelici, vt vulgatae editiones habent, *Tacito* Vandalii, *Paulo Diacono* Winili, *Procopio* etiam Vandili, *Iornandi* vero Vandili et Vandali; nonne ex hac omnium nominum varietate, et ex iis, quae dixi in principio disquisitionis, de Vandalis et Vindilis, liquet: diuersas has appellationes ex varia pronunciatione, vel ex errore scriptorum solum profectas esse; praesertim cum de situ illorum inter auctores graues omnino conueniat, atque de nominibus tantum disputetur, non de vera quadam nationis differentia,

a) Lib. I. cap. 15. Lib. I. cap. 20.

b) L. I. cap. II. *hist. Svev.*

c) Lib. I. cap. 14. hist. coll. praef. cap. 2. Lib. VI. 7. 29.

d) pag. 165.

differentia. Hanc enim veteres Graeci Latinique auctores dum non admittunt, vel nullam Vandalorum mentionem faciunt, aut diſerte pro vna gente habent. Non verò imitemur *Iohannem Ludouicum Praſchium,* qui Germanos Scythas eſſe dicit. „Germanicam autem linguam habere ſe inſtar matris, latinam filiae, imo germanicam „eſſe, quae radices veras latinae linguae poſſideat:„ Cur enim *Ouidius* diceret: „Nam didici Getice Sarmaticeque „loqui,„ ſi ipſi Romani eadem, qua Sarmatae lingua ſcythica vſi eſſent.

Conferantur praeterea *Ioh. Leonhard. Friſchii* Programmata de lingua Slauica. Monumenta quoque antiqua, quae in Ducatu Megapolitano, vetere nimirum Vandalia reperta D. *Hempelius* breuiter delineauit. Obiecerit hic forſan mihi aliquis, monumenta haec quidem Slauica eſſe, ſed quid hoc ad Vandalos? At conſideret is velim, Viſimirum Radagaſtumque non Slauorum fuiſſe Reges.

1.) Poſtquam igitur clariſſime demonſtraui, maiorem auctorum numerum a mea ſtare ſententia, Vandilos cum Vindilis eosdem eſſe, ſeu Venedos:

2.) Poſtquam in Vocabulario oſtendi, plurima verba credita Germanica, eſſe mere Venedica, vel Slauica:

3.) Oſtenſum etiam eſt a me, nomina idolorum Vandalicorum, e ſermone Venedico deſcendere, in quo ſolo ſignificationem admittunt;

4.) Vrbes a Vandalis conditas, et habitatas, nomina etiam ex ſermone Venedico habere.

5.) Quod etiam monſtraui in nominibus Regum locum habere.

6.) Porro admonui, Titulos Regum Vandaliae adhuc in vſu eſſe in prouinciis, quae ſemper a Venedis habitatae fuerunt.

7.) Per diuerſas Etymologias nominis Vandalorum et Venedorum has gentes easdem eſſe oſtendi.

8.) Idem ex Geographia confirmaui.

9.) Praecipuorum auctorum monumentis ſtabiliui et extra omnem dubitationem poſui.

10.) Ex his concludo tandem: Vandalos ſemper fuiſſe gentem inter iſtas maximas Venedicas, vti *Ptolomaeus* ait, numeratam, nec vllam vnquam coniunctionem cum germanis priſca aetate habuiſſe.

Addo his locum *Procopii* a) de conſuetudinibus illius gentis. Is enim „Vandali, (inquit) nec iaculatores, nec „ſagittarii periti erant, nec didicerant praeliari pedibus, „ſed equites erant omnes.„ Hoc ipſum nimirum originem eorum Sarmaticam confirmat, Sarmatarum dico, vti *Tacitus* ait, in equis viuentium; cum contra Germanorum acies pedeſtris eſſet, teſte eodem auctore, qui. b) „Hi tamen (Fenni) inquit, inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt, et ſcuta geſtant, et *pe„dum vſu* et pernicitate gaudent; quae omnia diuerſa Sar„matis ſunt, in plauſtro, equoque viuentibus.„

Agenti

a) pag. 190. b) C. XXXXVI. p. 249.

Agenti de moribus operae videtur pretium, vt vltimo loco tandem addamus doctissimi *Assemanni* a) sententiam de Vandalis, quam Tomo I. Calendariorum ecclesiae vniuersae parte II. prodit. Demonstraturus erat, Slauos non esse origine Vandalos, b) quamquam eam Germaniae vel alterius regionis partem inuaserint, quam olim Vandali tenebant, vt puto non modo vtramque ripam Vistulae et secundum Oceanum Germanicum vsque ad Cimbricam Chersonesum, vbi nunc Poloni, Silesii, Cassubii, Pomerani, Mazouii, Prussi et Vindi habitant: verum etiam alias quasdam partes, quae Vandalis olim tributae sunt. Nam *Procopius* a Maeotide palude Vandalos, quos ipse Vandilos vocat, prodiisse, indeque in Francos et Germanos impetum fecisse, scribit, &c. pagina sequente c) ait: „Caeterum vndecunque Vandali primo „prodierint, siue a Moeotide, siue a Vandalo, hoc est Vi„stula fluuio, vt alii volunt, certum est, eos a Slauis esse di„versos. Primum enim mores his gentibus diuersi sunt. „Vandalos *Cromerus* d) obseruat, sub Regibus semper fuisse; „atque mollissimos delicatissimosque esse, testis est *Procopi„us*. Idem vero Slauos Antasque vitam duriorem et in„cultam neglectamque ducere dicit: 1) deinde penitus di„versa lingua vtuntur Slaui omnes ab ea, qua Vandali vsi „sunt. 2) Constat sane inter omnes, Vandalos Gothorum „et Germanorum gentem fuisse, eademque lingua cum eis „vsos esse. Testes sunt ejus rei *Eutropius, Paulus Diaconus* „*Iornandes Procopius* et his omnibus antiquior *Cornelius Ta„citus*. 3) *Crantzius* etiam citat ex *Methodio Martyre* episto-

 „lam

a) Cap. 5.
b) pag. 297. §. VII.
c) pag. 298.
d) Lib. I. C. 5.

„lam Vandalorum [ad Conſtantinum Imp. vbi Germanos „ſe eſſe profitentur.„ 4) Porro dicit Aſſemannus nomina Ducum et Regum hujus gentis eſſe Germanica; 5) Slauicum vero vocabulum ne vnum quidem quemquam ex omni Vandalorum hiſtoria protuliſſe, praeter ea, quae *Albertus Krantzius*, commemorat, Starogard Lubeke &c. quae a Slauis poſt migrationem Vandalorum indita eſſe conſtat.

*** *** ***

1) De moribus Vandalorum modo locuti ſumus, quos certe nemo Germanis adnumerare poterit. Potius inter varias Slauorum tribus varios etiam mores obtinuiſſe credendum eſt. Sic *Tacitus* Venedos Sarmatis aut Slauis annumerare dubitauit, quia domos figere, et habitare ſolebant. *Cromerus*, qui in plurimis Blondum et Sabellicum ſecutus eſt, hic neutrius, qui cum ipſo conſentiat auctoritatem, adducit. Nonne ſic etiam olim Sarmatae in Baſilicos, ſeu Regios liberosque fuerunt diuiſi?

2) Linguarum diuerſitatem ita debebat exponere, vt nos Lectori conuenientiam demonſtrare conati ſumus. Vandalos Gothorum et Germanorum gentem fuiſſe, plures quidem auctores arbitrantur, quos ſupra binis columnis, notauimus, non minus quam contraria ſentientes. Sed quomodo quaeſo Germani eſſe poſſunt, qui ex regionibus ad paludem Moeotidem venerunt, vt in Francos Germanosque impetum facerent, vt paulo ante ipſe ſcripſit *Aſſemannus*? Quid ſignificant in lingua Germanica tot vocabula iſta vetuſta Vandalici ſermonis?

3) Nem-

3) Nempe locus ille Taciti hic adferetur, qui est tam dubius. Sed demus hoc, isto jam tempore processisse Vandalos ab ortu versus occasum et ad Danubium et fere ad Albim. Danubio Germaniam quasi frontem opponere dicit idem *Tacitus*. Iam quia innotescebat et noua natio Vandalorum: Romani illi caeteris harum partium populis etiam hunc annumerare inceperunt, tempore *Taciti*. Sed vtrum recte id fecerint, quaeritur. *Strabonis* quidem testimonium satis clarum est, quo ad Albim adducuntur, an vero ex conjectura atque vt satis clare describerent suis, id jam videndum. Hoc *Tacitus* confirmare non potuit. Ignorauit autem nomina et criteria alia, quibus posset hunc populum describere accuratius, sicut geographiae et historiae veritas postulabat. Occurit locus *Taciti*, quem ex *Blondo* affert *Kranzius*, a) qui addit, historiam Taciti nos integram hodie non tenere; id quod verius est, quam quod verissimum. Sed eum locum iam supra b) exhibuimus. Addimus illi alium ex *Chronico Alexandrino* c) vbi quinque gentes Germaniae memorantur, nonnihil detortis nominibus, Vandulos facile cognoscimus esse nostros Vandalos. Eodem modo respondemus huic Graecae compilationi: qua traditur quinque esse nationes Germanorum atque colonias, Marcomalos, Vardulos, Quadros, Veridos (Beridos) Hermoclos. (In notis *Du Cangii* satis bene substituuntur: *Marcomanni Quadi Hermunduri;*) hos esse populos Germaniae, vti *Cluuerius* docet. Vardulos in Hispania collocant Geographi, sed male, de Hispania jam egerat auctor. *Var-*

a) Lib. I. C. 21.

b) pag. 128.

c) p. 33 Paris. 28. Venet.

duli igitur ſunt *Vandali*, poſtquam ex regionibus orienti propioribus ſeceſſerunt ad occidentem.

4) Hoc nullius eſt momenti: de epiſtola illa nobis nihil conſtat, nec *Krantzii* librum et locum deſignauit *Aſſemannus*, nec *Methodius* ille Slauorum Apoſtolus epiſtolam ſcripſit ad Vandalos; nec illi Vandali (in Morauia) poſt ſec. VIII. mentiuntur, ſi iſto ſe tempore dicunt Germanos i. e. regio Germaniae imperio ſubjectos. Id vero, quod jam poſt annum octingenteſimum actum eſt, luculenter docet, Vandaliae majorem partem Imperio additam eſſe, cum Saxonum et Belgarum non modicae in ea poſſeſſiones fuerint. Sed etiam id, quod probauimus, aperte inde conſtat, Gilimirum Regem non cum tota Vandalorum gente in Africa periiſſe.

5) Hoc vero de aliis dici non poteſt, licet Genſeric per anſerem, qui tamen et Slauis eſt Geſior, Gilderic per aurum, non obſeruata nominis mutilatione, interpretentur quidam: nam Huneric a Hunoduris vel Hunis potius originem traxiſſe videtur, quam a gallinae nomine. Superſunt enim vero Vandalica nomina, vt Witislaw, Radagaſt, Kroko, Godislaw non Godigisclus, Slauica origine, quae nemo ex lingua Germanica explicare poteſt.

6) Conſtatne, hanc linguam de qua diu ante *Kranzium Helmoldus* narrat, fuiſſe longe aliam, quam Vandalorum? An ante *Kranzium* Scriptorum nemo de Vandalorum nomine aliquid narrauit? Multa vero nomina in opere noſtro protulimus idolorum, vrbium, Regum Vandalicae adeoque Slauicae manifeſto originis. Nonne haec ſatis ſuperque

perque infirmam Aſſemanni objectionem refutant? Sic et Trula eſt vox per D veroſimilius pronuncianda, quo nomine ridiculo Vandali appellarunt Gothos, *Olympiodoro* apud *Photium* teſte. Quae vox cum Germanica non ſit neque Gothica, nonne ergo Vandalica erit?

Addamus auctorem, qui multum ad rem noſtram facit *Saluianum*, a) qui Vandalos adfirmat non eſſe noſtri orbis, hiſce verbis: „excitata eſt in perniciem noſtrorum ac de-„decus gens ignauiſſima, quae de loco in locum pergens, „de orbe in orbem tranſiens vniuerſa vaſtaret. Ac pri-„mum de ſolo patrio effuſa eſt, in Germaniam primam, „nomine barbaram, ditione Romanam: poſt ejus excidi-„um primum exarſit regio Belgarum; deinde opes Aqui-„tanorum, poſtea quid fuit totum Africae territorium?„

1. Nomen Nomadicum omnibus nationibus ob frequentes migrationes conuenit, neque Gothi aut Slaui aliis in hac re cedunt. Nonne vt Vandeln fingunt eſſe Nomadicam vitam agentes, eodem modo Venden credunt eſſe vagantes, aut Sueuen, a Schweifen, etiam vagantes aut ambulantes? Et tamen omnes hae gentes inter ſe ſunt diuerſae.

2. Ipſe *Saluianus* patrium Vandalorum ſolum ſatis diſtinguit a Germania per ea, quae ſequuntur: Germania prima nomine Barbara; vt conſtet haud dubie, potius Pannoniae vicinam regionem, quam Francorum fuiſſe.

3. De

a) De gubernatione Dei L. VII. p. 265. edit. Rittershus.

3. De Orbe in orbem intelligimus de orbe peregrino alio, Romanis non subjecto. Sic hic scriptor alio loco loquitur. a) „(Romani) orbis nullam portionem quantumlibet plagis coelestibus caesam (scilicet per gentium „incursiones) vnquam fuisse correctam.„ Igitur de alio orbe de suo nempe orbe venerunt Vandali in orbem alium: scilicet in orbem Romanum. Orbis enim Africanus Romanus fuit, ergo de alio orbe venerant in Romanum orbem, qui incipit a Germania prima et per Belgium Hispaniamque in Africam pertinuit.

a) Lib. VI.

DE

DE
LACV MVSIANO,
Pars Tertia.

DE

LACV MVSIANO,

PARS TERTIA, SECTIO I.

Sarmatarum Europaeorum et Asiaticorum notitiam debemus Trajano, qui fractis posterioribus, et occiso eorum Rege *Sarmata*, vtriusque Sarmartiae situm nobis notum fecit. Reges vero *Sauromatas* vel *Sauromates*, sub Augusto adhuc nominatos, lego apud *Spanheimium* a) et sub sequentibus Imperatoribus apud *Vaillantium*, *Carium*, *Pelerinum;* imo et apud *Plinium* b) inueniuntur.

Igitur Sarmatae Europaei ad Bosphorum olim Cimmerium, paludem vsque Moeotidin fere per centum et vltra octoginta annos ad tempora Domitiani consederunt. donec stratagemate Constantini Chlori, ducis Domitiani, et aui Constantini Magni Imperatoris, impulsi, antiquas reliquerunt sedes, aliarumque gentium more ad Danubium migrarunt; de qua re consule *Porphyrogenetam.* c)

Vbi statim sedem fixerint, arduum est dicere; loca tamen illa vastissima peragrantes Sarmatas, ad Borysthenem, et inde ad Danubium progressos

 fuisse

a) T. I. p. 496.
b) Lib. X. c. 15.
c) pag. 144. 148.

fuisse infra videbimus. Saeculo quinto *Iornandes,* seu *Iordanus* genere Gothus rerumque Gothicarum optime gnarus, non solum Sarmaticas gentes distinguit in *Vinidos, Slauinos* et *Antas*, sed etiam ad lacum Musianum eos constituit. Audiamus jam verba auctoris ipsa, in libro de Getarum, seu Gothorum origine. a)

„Ab ortu Vistulae fluminis per immensa spatia venit „Vinidarum natio populosa. (*a*) Quorum nomina „licet nunc per varias familias et loca mutentur, prin„cipaliter tamen Slauini et Antes nominantur (*b*) Slauini a „ciuitate noua et Slauino Rumunensi, et lacu, qui appel„latur *Musianus*, vsque ad *Danastrum* (*c*) et in Boream „Viscla tenus commorantur. Sic paludes siluasque pro „ciuitatibus habent, (*d*) *Antes* vero, qui sunt eorum for„tissimi, qui ad Ponticum mare curuantur, a *Danastro* ex„tenduntur ad Danubium, quae flumina multis mansioni„bus ab se inuicem absunt. (*e*) Ad littus autem Oceani, „vbi tribus faucibus fluenta Vistulae fluminis ebibuntur, „Vidicarii resident, ex diuersis nationibus aggregati. (*f*)„

Haec *Iornandis* narratio quamuis ampla ratione eorum, quae Sarmatiae magnitudinem diuersasque ejus tribus demonstrant, tamen antiquo dicendi modo et obscuro dicendi genere exarata, illustrationibus quibusdam indigere nobis videtur, quas auctoritatibus scriptorum, vel ejusdem vel posterioris aeui, eadem cum Iornande sentientium, munitas adjicere decreui.

(*a*) Apprime fontem Vistulae quis hodie ignorat? Prosilit ille quidem ex aspero monte, qui *Albus* dicitur, et

a) pag. 16.

et erectae columnae instar, ruinam praecipitem minatus, aquam quasi deorsum pendentem oculis offert; inde nomen Venedicum *Wisit*, a quo *Wisla* venit, quodque significat *flumen pensile*, est sortitus; non ergo *Iornandes* temere *Vinidos* seu *Venedos*, illius regionis asserit habitatores. Siquidem nomenclatura linguae illud affirmat; estque praeterea locus prope *Iablonna* in Ducatu *Tessinensi*, lingua Venedica *Cieszynensi*, quia *Cieszyn* est *exhilarans*, id autem illi nomen ob amoenitatem situs, inprimis longinqui prospectus, maxime conuenit et inditum est. Argumentum inde duci potest firmissimum, omnia locorum nomina esse a Venedis inuenta, et indita. Verum enim vero ii qui historiae antiquae tenebris et orationis barbarae difficultatibus lucem dare cupiunt, eam semper cum tabulis *Ptolemaei* geographicis conferant.

Burii erant, *Dione* teste, Sarmatae, *Auares* autem vnanimi omnium consensu *Vendi* seu *Slaui*. Conferre hic licet *Simocattam*, itemque *Menandrum*; a) binas quidem has nationes in Tabulis *Ptolemaicis* b) quisque in vicinia fontis *Vistulae* videre potest: diuersitas vero nominum ex sequentibus verbis Iornandis melius adeo apparebit.

(*b*) *Iornandes* hoc loco asserit, nomina Vinidarum per varias familias et loca mutari. Cum *Auares* et Burios, (quod *Buriorum* nomen certissime est Slauicum) esse *Vinidos* jam dixerim: apud eundem geographum praeterea legere licet plures: „Post Burios, ait, Auaresque „sequuntur Lugi (quos recentiores Ligios esse autumant, „cum tamen Lugii Venedico Idiomate habitatores ad pa„ludes et terram, lixiuio similem colentes, significet:) Pien„gitae, Biessi, Peucini, Bulanes, Phyngi, Slauice Wyngi

 „tan-

a) Lib. II. C. 8. b) Lib. I.

„tandem ad ostium Vistulae Venedi seu Vinidi.„ Variae itaque, vt optime obseruauit, sunt familiae.

Tandem cum dicat *Iornandes Slauinos*, et *Antes* praecipuas esse eorum tribus, inde colligere nobis liceat, primum, frequentissimam fuisse gentem Slauicam; deinde vero, hoc nomine inter se Slauinos jam ante V. saeculum insignitos fuisse; siquidem ipse auctor V. saeculo floruit; adeoque non *Heraclii* imperatoris demum tempore, vt alii ajunt, *Venedos* dictos esse *Slauos*.

(*c*) Nunc id jam quaerimus, vnde venerint, et vnde vocati sint *Slauini?* Auctor noster a ciuitate noua tum temporis *Slauino* deducit. Vbi vero eam ciuitatem posuerit, statim apparet, nam ad lacum constituit, qui Musianus appellatur; licet, vt infra ostendam, per errorem; ille enim qui prelo subjecit *Iornandem Bon. Vulcanius Brugensis*, ejus Orthographiam non nouit. Sic alii Scriptores rectius eum appellant *Martianum*, et reuera ita debet vocari, cum Romanorum antea coloniam illic, id est trans *Danubium* fuisse sciamus. Hunc lacum satis magnum hodie in chartis geographicis videmus sub nomine *Russoui*, vt et vicum *Russouo*, seu *Russouum* ejusdem nominis. Sic non solum oppidum *Slauinum Rumunense*, vel deinde dictum *Russunense*, non exacte scriptum, vel impressum nos docet, *Iornandem* ipsum nomina mutilare, si non mutare; sed alia etiam exempla docent, ad quod probandum nihil est aptius, quam lacum Musianum ab ipso *Iornande* inferius alio nomine adpellari. Cujus verus situs est inter ostium *Hierassi*, seu *Prut*, et *Bessarabiam*, olim in Dacia positam: distat autem a faucibus Danubii, milliaribus Germanorum decem, vel duodecim; a Danubio recta eundo tribus. Longitudo lacus ad sex fere milliaria et dimidium, a Tyra tredecim protenditur; latitudo autem vnius tantum

tum

tum et dimidii milliarii est, si tabulam ab Walckio vel Hasio delineatam consulueris.

Sed beneuolo Lectore fauente, cum ex hoc ipso, tum ex alio clariore *Iornandis* loco, nec non ex aliis etiam scriptoribus lacus *Musiani* vel *Martiani* verum situm digito quasi demonstrabo. Noster enim toties laudatus auctor ab hoc lacu statim diuergit ad *Danastrum*. Danastrum vero esse *Dniester*, qui Graecis, *Iornandi*, et aliis geographis *Tyras* vocatur, deinde patebit. Ergo tam ciuitatem, quam Lacum illum frustra alibi quaeri putamus, quam eo in loco, vbi et hodie *Russouum* inspicimus, et sitam in vicinia ciuitatem. Nonne Slauorum et Antarum sedem *Procopius* ipse vltra Danubium tot vicibus asseruit, ipsorumque per flumen transitum saepius enarrauit? a) „Slauenis, ait, quondam Antisque vnum erat ac simile „cognomentum, quippe quos Sporos prisci idcirco deno-„minauerunt, quia, vt reor, dispersi per tabernacula et seor-„sim singuli habitant affatimque terras habent, et qui „maximam *in vlteriore Istri fluminis ripa incolunt partem*.„ vel alio in loco b) „Slaueni et Antae, *qui trans fluuium Istrum* „*non procul a ripa sedes patrias habent*. Ob ea verba, vbi dicit „non procul a ripa Danubii„ dubitare non possumus, *Procopium* de eodem loco dicere, quem Iornandes habet, quique est ad lacum Musianum, et Russouo appellatur. Is enim non solum, vt supra dixi, tribus fere tantum a Danubio distat milliaribus, sed et obseruo, Slauos a *Procopio* appellari Sporos, a verbo, quod proprie significat seminare; hi autem Spori, seu disseminati habitatores, iidem sunt qui in lingua Slauica Rosseia, id quod maxime cum Rossouo conuenit. Scimus enim Russos non solum ita se a dissemina-

a) Lib. III. c. 3. b) cap. 27. pag. 165.

disseminatione populorum vocari, asserere, sed etiam quod ab hoc ipso lacu, ad Danubium sito, in suas venerint oras. Relinquamus iam *Iornandem*, ad quem reuersuri sumus, vbi probauerimus, confirmauerimusque, quae de Rosseis, seu Russis et Russouo diximus. Antea nobis auctores Russiaci hoc loco consulendi sunt, inprimis vero *Longinum* nostrum citabimus, auctorem quippe antiquissimum ex iis, quibus codicum *Nestoris*, *Theodosii*, *Isidoris Anonymique* copia fuit &c. Is *Longinus* versus finem praefationis, libro ipsius praemissae, de se haec dicit: „Cano „iam capite ad perdiscendas litteras Ruthenas, me ipsum „appuleram, quatenus historiae nostrae Polonae series, „certior redderetur:„ Ille ergo non nisi a Danubio originem Russorum ducit, in quo cum *Iornande* primisque Russicis scriptoribus conspirat.

Et quamuis *Bayerus*, *Müllerus*, *Lomonossouiusque* idem etiam habeant, et ipsi vetusti codices nostrum *Longinum* citent: tamen iidem supra laudati auctores, quibus persuasum erat, Russos a Lacu Musiano venisse, plane non conueniunt inter se de eiusdem situ. Ad eos igitur reuertar, vbi diuersas de situ huius lacus examinare aggrediar opiniones; hoc in loco sufficiebat ostendere, omnes in eo conuenire, vt, Slauos a Danubio venisse, et a lacu Musiano, qui in Danubium, vt monstrabo, effunditur, dicant; iam ad Iornandem redimus, multo plura hoc de lacu dicturi.

(*d*) *Iornandes* iam finita laconica, quam amat, de sede nomineque Vinidarum narratione, in aliam excurrit plagam, id est ad Boream; neque quidquam magis incolis Vinidis conuenit, quam quod addit.

(*e*) De-

(*e*) Demum reuerti placuit isti ad Antes fortissimos, et nunc iam sine vlla dubitationis nota clarius ostendit situm Lacus Martiani ad Danubium imo penes Danubii fauces, vbi et hodie cernitur, quando dicit: „Antes.... „qui ad Ponticum mare curuantur, a Danastro (qui est Ty„ras) extenduntur vsque ad Danubium.„

(*f*) Iam vero visum est auctori redire ex Ponto ad Oceanum ostiumque Vistulae, quam et Visclam vocat, vbi et Ptolemaeus nobis eos collocat. Nihil aliud vero ea re demonstrat, nisi Vinidarum illam partem maiorem in Europa a Ponto inde Euxino ad Oceanum, seu Balticum mare, in quod Vistula influit, totam fuisse. Mare vero Balticum ab antiquis, *Ptolemaeo* et *Mela* auctore, Oceanus Sarmaticus vocabatur, quod ex parte opposita, seu a Scandinauia Baltam vocauerunt.

Tandem, vbi *Iornandes* dicit: „noua ciuitate„ non est intelligenda vrbs proprio nomine appellata Noua Ciuitas, siquidem verum nomen nouae ciuitatis statim addatur Slauin, *Iornandi* Slauino, quae certe tam diu durauit, donec Slauini nomadico more in alias partes migrauerint, aliaque in ea loca successerit natio. Attamen obseruare debemus, Russouum et Slauinum, eandem ciuitatem, idemque nomen secundum propriam harum gentium, Russorum Slauorumque, dialectum esse.

Quod vero *Iornandes* Antes curuari dicit ad Pontum Euxinum, ibi quidem multa nomina vicorum legimus omnino Slauicae linguae propria, quae sunt Acidaua, Peleudoua, Arcidaua, Rusidaua, Sarmategte, Zurobaua, difficilius a Dacarum nomine deriuanda. Hic certus auctor dubitat, an Briegh, quod *Dolzsi* a) habet sit eminens locus, sed

a) pag. 15.

ſed iniuria, cum ſatis elegans ſcriptor, non adeo linguam calleat, vt is, quem nominaui. Nam etiam nunc in omnibus Slauicis dialectis, Briegh, vel alias Breg, ripam aut littus ſignificat, plerumque magis editum, quam reliquum ſolum. Selymbria adeo eſt pagus ad ripam, aut littus et Meſembria ſignificat campum, ad litus ſitum.

Lacum autem Muſianum eſſe vere hunc Martianum, apparebit, ſi contuleris *Bonfinium* a) ex recenſione *Cl. Belii* b) editionis Lipſienſis, nec non *Iac. Petri Luccarium.*

Cum aenigmatico quaſi *Iornandes* genere ſcribendi vtatur, nulla alia de re debemus eſſe ſolliciti, niſi de ſolo lacu Martiano. Ideo aliam citationem eiusdem auctoris ea, quam ſupra diximus, de cauſſa, viſum eſt in medium proferre, quia ille verum ſitum habet, non procul a Danubio et Ponto, ſupra quod mare *Iornandes* c) Vinidas collocat.

„Scythia quidem Germaniae terrae confinis (*a*) eotenus, vbi Hiſter oritur amnis (*b*) vel ſtagnum dilatatur „Myſianum (*c*) tendens vſque ad flumina Tyram, Dana„ſtrum et Vagoſolam (*d*) magnumque illum Danubium „(*e*) Taurumque montem; non illum Aſiae ſed proprium, „id eſt Scythicum per omnem Maeotidis ambitum, vltra„que Maeotida per anguſtias Boſphori vſque ad Caucaſum „montem amnemque Straxem, ac deinde in Siniſtram „partem reflexa poſt mare Caſpium, quae in extremis Aſiae „finibus ab Oceano Euroboreo in modum fungi primum „tenuis, poſt latiſſima et rotunda forma exoritur, vergens „ad Hunnos Albanos et Seres vſque digreditur. Haec „inquam patria, id eſt Scythia, longe ſe tendens, lateque „aperiens, habet ab Oriente Seres, in ipſo ſui principio „ad

a) pag. 23. b) Lib. I. pag. 2. c) c. 5. pag. 2.

„ad littus Caspii Maris commorantes; ab Occidente Ger-
„manos et flumen Vistulae, ab Arctoo, id est Septemtrio-
„nali circumdatur Oceano, a meridie Perside, Albania,
„Hiberia, Ponto, atque extremo alueo Histri, qui dicitur
„Canubius ab ostio suo vsque ad fontem. In eo vero loci
„latere, quo Ponticum littus attingit, oppidis haud ob-
„scuris inuoluitur Boristenide Olbia, Callipode, Chersone,
„Theodosia, Parcone, Myrmicione et Trapezunte, quas
„indomitae Scytharum nationes Graecos permisere con-
„dere, sibimet commercia praestaturos.„

(*a*) Si totam perlegere paragraphum placuerit, facile apparebit, auctorem Scythiam suam voluisse in gyrum quasi eundo describere: quod cum ita sit, transuolat rapidissime a locis ad loca, id quod statim clarum fiet. Non solus autem *Iornandes* variorum fluminum mutilauit nomina, sed multi alii idem fecerunt. Sufficiat exemplum Zosimi, quod nobis in mentem statim venit, qui manifeste in Decio Danubium appellat Tanaim. Attamen id verum est Clodouaei, Regis Francorum tempore, imo et antea sub Anastasio multos auctores dicere, Germanos, Scythasque, Danubium diuisisse, si nempe Vandalos pro Scythis habemus, sed id a materia nostra alienum est.

(*b*) Hister seu Ister amnis, qui hodie Danubius dicitur, apud auctores vocatur inde ab eo loco, vbi latus Transilvaniae attingit, antea vocatur Danubius; crediderim ergo melius eum clariusque dicere potuisse: „vbi Histri „nomen oritur„ quam „vbi Hister oritur amnis.„ Lego enim apud *Strabonem* et *Plinium*, Danubium illic demum Histrum appellari incipi, vbi Pannoniam peruenit. *Appianus* autem *Alexandrinus* magis diserte significat, Histrum illic nominari, vbi Sauus cum illo aquas suas commisceat,

 hoc

hoc est ad antiquum Taurunum, hodie Albam Regiam Slauice Beligrad dictum.

(*c*) Redeundem est nobis ad *Iornandem,* qui quidem iam ad lacum Mysianum venit. Iam clarior nobis accenditur lux de situ lacus illius quaerentibus. Primo quidem iam supra obseruaui, male *Iornandem* nomen illius Musianum expressisse, verumque eius nomen esse Mysianum. Apparet hoc ex ipsis *Iornandis* verbis: „Vbi Ister oritur„ apparet etiam ex aliis auctoribus, quos adduxi: „Vbi Ister incipit „nominari. Euidentissimum autem hoc fit ex ipso geo„graphico argumento, siquidem clarum sit, antiquum„ Taurunum hodie appellatum esse Belogradum, (quod verbum de verbo significat Albam ciuitatem,) et solummodo ab Hungariae Regibus dictam Albam Regiam, esse sedem superioris Mysiae, Varnam autem Slauico nomine dictam, a) quae antiqua est Dionysiopolis, esse inferioris Mysiae sedem. a) Quod ad superiorem adtinet, successerunt Mysis Serchi, Serbi in superiore Mysia, et Bulgari in inferiori, vtraque natio, vt Iornandis modo loquar, Slauinorum. Cum igitur iste lacus inter duas has vrbes inueniatur, et praeter istum lacum nullus tam insignis alius in toto istius regionis vltra Danubium spatio reperiatur, qui propius ad antiquum illum Istrum situs sit, apparet, Lacum istum esse Mysianum, hodie Russianum, Hoc vero ex iis clarius fit, quae infra de Mysia ex instituto sumus circa finem partis secundae dicturi.

Iornandes autem quam potest velocissime gyrum Scythiae percurrit, quia iam circa Danubii ostia eum inuenimus, et quia statim deinde de Tyra, seu Danastro (hodie Dniester dicto) loquitur, qui tamen octodecim amplius mil-

liaribus

a) *Cuspinianus* in Theodora. *Besoldus* in historia Constantinopol.

liaribus a Danubio distat, a) lacu isto autem toties iam nominato quindecim milliaribus Tyras fluit. Adhibita animi attentione, patet, limites solummodo Scythiae describere, in animo eum habuisse. Post Tyram ponit statim, virgulis tamen additis (Tyram) Danastrum, de quo inferius agam. Illico ex iis, quae sequuntur videbimus, summam celeritatem Scythiae circuitum describentis. Sed ante omnia est detegendus error typographi; quia cum ipse *Iornandes* in superiore citatione primum flumen post Danubium numeret Danastrum, in praesenti vero Tyram expressam habeat, sequitur, vt Danaprum habuerit in archetypo, qui hodie est Dnieper, Graecis olim Borysthenes, antiquis Danaper etiam vocatus; cui rei, vt supra dixi, magnum iam accedet lumen, cum post Tyram Danaprum legerimus et Vagosolam. Nil enim clarius est, quam eum de Danapro, non Danastro, locutum esse, quia flumen alterum Sula, seu Sola vltra Danaprum, seu Borysthenem hodie inveniatur et in illum effundatur, Vagasola nonne est nomen compositum ex Vagus et Sola, quod iunctim significat Slauice flumen palans, vel quod vadum habet.

(*d*) Iam vlterius progressus peruenit ad magnum Danubium. Et primum quidem scimus, *Iornandi* duos memorari Danubios. Ille, qui duplici nomine Hister et Danubius dicitur: alter vero dictus iam, vt distinguatur a superiore, Danubius magnus, quem inferius manifeste cognoscemus esse Tanaim. Vnde vero ille error venerit, facile ex graeca pronunciatione intelligi potest. Tanais enim vox aperte graeca, detorta tamen a vero, quod flumen Slauis Don dicitur, mutata, vt semper solent Graeci, littera D, in T, non Danais a Don, sed Tanais dictum. Danai cum Danubio propior est affinitas; hinc ex Danai Danubium facile formari posse videmus. Id quod

tam certum eſt, quam quod certiſſimum, quia Donus non Tanais antiquis vocabatur, ſed Orxentes.

(*e*) Quidquid vero de Tauro monte iam habet, qui ſine dubio a Taurica ſortitus eſt nomen, id a noſtro alienum eſt propoſito, adeoque iam *Iornandem* ad Tauricam et ambitum Moeotidis ſemper vlterius procedentem relinquimus. Neque putandum eſt, hoc loco queſtionem verti tantum de monte Tauro in Armenia qui alias mons Arath nuncupatur.

Cum autem probauerimus lacum Muſianum Myſianum eſſe: id agendum nobis erit, vt Myſianum Lacum propter ſitum vere eſſe Martianum, demonſtremus, et relicto quoque *Iornande* ad *Diocleatem* progredimur auctorem, qui mortuus eſt anno 1061. Quia autem *Iacobus Luccari Petri filius*, ortus ex illuſtri familia, quae Dalmatiae, Croatiae et Slauoniae Bannos dedit, ſcriptorque, qui vtilium rerum copiam habere poterat, et per ea ipſa loca, quae deſcribit, crebra itinera fecerat, non ſolum ſecutus eſt Diocleatem in libro, quem ſic inſcribit: „Copioſo Riſtretto de„gli Annali di Rauſa, libri quattro da *Giacomo di Pietro Luc„cari* Gentilhuomo Rauſeo, in Venetia 1605.„ ſed multos etiam in opere illo citat libros manuſcriptos, plurimoſque auctores, vt *Arnoldum Abbatem, Ieremiam Ruſſum, Diocleatem, Iohannem de Rauenna, Ludouicum Tuberonem, Andream Calchagninum, Iulium Faroldum Abbatem Maurum, Orbinum, codicem Michaelis Salonitani*, aliudque antiquiſſimum Chronicon manuſcriptum, quod poſſideri dicit a Franciſco Hieronymo Pozza, Nobili Raguſeo, multoſque praeterea alios ſcriptores: quemlibet tanto magis confirmatum iri puto, ſi legerit abſolutam ſuis numeris collectionem eorum, quae pertinent non ſolum ad definien-

definiendum verum lacus apud Iornandem Mysiani situm, sed et ad eruendum eius verum nomen, quo eum insignierunt Romani. Arbitratus tandem, me maiorem conciliaturum esse lectoribus voluptatem, si integrum istius auctoris locum adduxerim, eum iam exhibeo: a) „Ma-„delle guerre et del progresso, che gli Slaui fecero nell' „Illyrico, *Procopio* in particolare scrisse ed il Diocleate. „(*a*) il quale posse in carta i Successi de Ostrivoy, che „signoraggio ad vna parte de gli Slaui, ch' occuparono „l'Illyrico. Costui fu'nel tempo d'Anastasio Diocoro Im-„peratore di Constantinopoli. (*b*) e vedendo l'Imperio „Romano cadutto dalla sua grandezza e messo in confu-„sione per l'heresia Eutychena, si volle valere della occa-„sione. (*c*) E così fatta scelta *de gli Slaui, ch' all'hora habi-„tauano vicino al Lago Marsiano* (*d*) voltò al Greco e cami-„nando *al mezzo giorno, valicò il Danubio.* (*e*) da quella „parte *che guarda la Rocca de Russi* (*f*) doue Tomiri Regina „de' Massageti (i quali secondo *Farasmano* e *Niceforo „Gregora*) sono Alani. (*g*) fabricò vna citta, che dal suo „nome chiamò Ostrivoy; e duopo hauer vsata ogni sorte „di barbara crudeltà passando il fiume Albi, ch'hoggi „domandano Lab ò Labut, penetrò in Carniola, edificò „Slauingrad, ch'i Tedeschi chiamano Vendilgraz ed or-„dinò la corte e la superiorità de' Gindicii in Sagreb, che „da gli antichi fu detto Vicolatino. (*h*) E sequitando „pure nella sua opinione, c' haueua à guerreggiare sog-„giogò i Cureti e Longino, mostrandosi giusto sopra „quei popoli, ch' habitauano lungo i fiumi Noaro e Bergo „quello Slaua, e questo hoggi domandata Draua. Ma „trouandosi nel paese Preualitano, fú assalito da' Greci et

a) Lib. I. pag. 2.

„e combattendo valorosamente et da vero, Capitano cade „nella battaglia. (*i*)„

(*a*) Quae *Luccari* in *Procopio* esse indicat de Slauis, ea de gente ipsa non sunt nisi paucissima, adeoque illa mihi hic videntur esse intelligenda, quae habet paginis 496. de istorum moribus. Auctor enim ille, qui Belisario a litteris erat, Imperatoris Iustiniani tantum res gestas diligenter pertractat, de Sarmatis vero, Venedis, Antis Slauisque nec ex instituto, nec satis accurate egit, quod probat *Mascouius Histor. German.* Plura vero de iis in *Porphyrogeneta* leguntur, ad quae harum rerum studiosum remittimus lectorem, ideo tamen hinc Philosophum et auctorem annuimus, quia cum illo tam *Diocleas*, quam historiographi Hungarici, Dalmatici, Bosnenses, et ipse *Luccarius* optime conueniunt, quippe non occasione tantum arrepta, sed ex instituto de Slauis tractantes.

(*b*) Hic *Diocleatem* iam laudat auctor noster, ex eoque migrationem Slauorum sub Ostriuoy, commemorat additque eam regnante Anastasio Imperatore factam, quod tanto maiorem fidem ex his enarratis accipit: nobis tamen visum est in haec inquirere accuratius tempora quia certiora de hac epocha constant quae hic examinanda esse putamus. Anastasius nimirum imperio potitus est anno 491. regnauitque vsque ad annum 518. Frequentissima ei bella gerenda fuerunt, primum quidem cum Isauris, quod vario Marte per quinque gestum est annos, et de quo conferendi sunt *Marcellinus, Theophanes* et *Euagrius.* a) Inchoatum enim istud bellum anno 492. finem demum habuisse anno 497. testatur *Ammianus.* Idem quoque auctor alteram epocham, a Slauis quos Bulgaros ipse vocat, factae in Thraciam

a) Lib. III. c. 35.

Thraciam migrationis, vnde eos dicit imperio formidolosos fuisse, in annum 499. reijcit, quae omnia cum *Diocleate* et *Luccario* plane conueniunt. Tum enim cum ii in Thraciam transirent, lacum ex altera parte finibus Thraciae oppositum, quisque videbit Martianum fuisse appellatum, de quo statim agemus, nec ea, quac nostri auctores habent de Danubii transitu, absurda videri debent. Nonne enim Thraciae limes Danubius fuit? Cum vero de Slauis hic nobis quaestio est, quis quaeso erit, qui Bulgaros Slauos esse ignoret, licet eo seculo auctores ignorauerint atque confundant illorum tribus; de communi enim gentis nomine liquet. Cumque *Marcellinus* addat, eos deinde Romanorum fines infestare coepisse, non erit dubitandum, saepius ab iis factas esse migrationes, id quod etiam clarius ex sequentibus patebit.

Hac vero occasione diuersas scriptorum sententias commemorare me oportet de eo, quod Sarmatae antiquioribus jam temporibus in Illyricum sint transgressi; quare vltima ea videtur eorum migratio, de qua jam quaestio est. Nam *du Frenius* in Illyrico vetere ac nouo ait: „Primam Slauinorum patriam in Sarmatia quaerendam „omnes medii aeui Scriptores indicant aperte. „ a) Vnde illi seculo demum quarto primum cum Hungaris (seu potius Hunnis) deinde aetate sequenti, cum Bulgaris, Slavis, Abaribus, Croatis atque Serbiis in Illyricum atque Pannoniam demigrarunt. an. 337.

Puteolanus scribit, anno Marciani Imperatoris circa annum Christi 457. surrexisse in Polonia Principem, qui Bulgaris Mesianisque imperabat et qui etiam in Hungaria dominari cupiebat. Vide *Longinum,* b) de Martiano autem plura dicturi sumus. an. 457.

Can-

a) C. II. §. 9. p. 7.

b) pag. 21.

Cangius modo laudatus tam in Illyrico vetere et nouo, quam in hiſtoria regnorum Dalmatiae ita ait: „Anaſtaſius „Dioſcorus tum Romano imperio coepit praeeſſe, quando „Theodoricus Rex Gothorum interemto ex inſidiis Odo„acro vniuerſam Italiam cum Dalmatia ſubegit, quo tem„pore Heruli acie a Longobardis victi partim in Illyrico „conſederunt, partim in extremam Germaniae oram per „mediam Slauorum regionem redierunt.„

an. 491.

an. 530.

Circa annum 530. Venedica ſeu Slauica natio coepit inhabitare Stiriam, Carinthiam, Carniolam, Marchiam Slauonicam, et Comitatum Poricienſem, quae tamen nomina duo vltima eo tempore nondum fuerunt in vſu, ſed poſtea demum ſunt recepta. Notari hic debet, totum ſeculum amplius ante Heraclium Imperatorem, qui anno 640. mortuus eſt, hoc factum eſſe. Vide *Auentinum* a) et *Megiſeri Chronicon Carinthiae.* b)

(*c*) Cauſſa nunc migrationis ſequitur, cupiditas nimirum imperii, cujus in cauſſa tunc, vt ille ait, erant Eutychiani errores, resque domi maxime perturbatae, adeoque incurſionibus Slauorum fauentes. Poſſumus autem, vt majus argumentorum pondus ſcriptorum noſtrorum auctoritati accedat, plurima alia migrationum ſub Anaſtaſio factarum exempla adducere, vtpote Vitaliani et Getamundi (ſic Romanis placuit vocare) infelix illud praelium, cum Scythis Gothisque aliisque gentibus ſeptentrionalibus, quos *Iornandes* foedere iunctos aperte dicit, et inter quos et Slauos fuiſſe, non debemus dubitare, cum ſcriptoribus Romanis omnes fere gentes Scythicae fuerint appellatae; factam ab Hunnis Lycaniae depopulationem, Francorum Germanorum ſub Clodouaeo in Gallias,

a) Lib. III. b) L. V. C. 3.

lias, Theutonum in Sueuiam irruptiones. Sic scimus alios etiam semper Sarmatas, Vendos, et Slauos cum Gothis et Hunnis bellum gessisse; de quo conferantur Scriptores de praelio Catalaunico 451, quadragesimo ante Anastesii tempora anno commisso. Sed reuertamur ad haeresin Anastasii, quem Historici perfidiae crimine et pertinaciae accusant, quod in haesitantium grege fuerit, quod Henoticon illud Zenonis famosum (dissidia non pacem ferens) contra fidem datam fouerit, quod Trisagium hymnum mutilauerit et plane prohibere voluerit. Sed satis superque jam de imperii turbis *Diocleati* et *Luccario* addidimus.

(*d*) Auctor jam definit locum, vnde venerunt Slaui, cum non solum expressis verbis dicat, eos ex transistranis regionibus aduenisse, sed ipsum etiam Martianum lacum nominet, vbi ait, in vicinitate ejus Slauos tunc temporis habitasse. Hoc in loco obseruandum est, auctorem nostrum Iornandem ipsum non citare, et tamen Diocleatem cum eo omnino consentire debere. Nominum enim discrimen, quod Gothicus auctor enunciat Musianum, Graecus vero Martianum, adeo magnum non est; et si vel maximum sit, ex multis aliis similibus exemplis apparet, gentes eundem locum diuersis nominibus sua lingua nominasse. Diocleas autem nomen Martiani lacus non sine certo fundamento vsurpauit, ideo, quia Romani illum eo nomine appellabant. Ex historia enim scimus, ante aduentum Dacarum seu Getarum, Vandalorum, Gothorum (qui Vandalos ad Marissum etiam, qui Danubium influit, vsque persequebantur) Sarmatarum et ipsorum Slauorum, alteram istius fluminis ripam etiam ad Romanos pertinuisse. Hi vero vel ex more suo post victoriam aliquam partam lacum istum Marti consecrarunt, vel a

Martianopoli hodie Marcenopoli profecti ex nomine vrbis, vnde venerant, nomen ei indiderunt. Martianopolis enim ipsa a Danubio distat tantum quindecim milliaribus germanicis, Russouo vero a Danubio tribus.

Sed quid refert, plura nomina eidem loco fuisse imposita? supra jam eius rei causam proposui, neque hoc tam necessarium est, quam demonstrare verum situm. Is enim maxime requiritur; et ad eum expediendum properamus.

(*e*) Si qua res est, quae difficilem reddat inuentionem lacus, quem cum Iornande appello Mysianum; cum Russicis autem scriptoribus Russianum; est certe varietas opinionum, quas habuerunt diuersi auctores, qui nunquam satis aduerterent animum ad omnia, quae lacus descriptioni adjuncta sunt et quae in altera operis parte demonstrabo; hac in parte omni cura examinaturus verum hujus lacus situm. Auctor noster Slauos ait versus Graeciam progressos, dimidii diei iter fecisse, antequam ad ripam Danubii accederent. Hoc vero temporis spatium, quod Slavorum itineri ad flumen vsque tribuit, non solum aperte conuenit cum eo situ, quem Iornandes lacui assignat, sed mensurae etiam geographicae, quam supra dedi, non repugnat; dixi enim lacum dissitum esse a Danubio tribus Germanorum milliaribus. Cum etiam tempus dimidiae diei, quod in iter ad Danubium vsque impenderunt Slaui, aptum sit dimensioni isti, adeoque eadem distantia locorum, idem lacus idemque flumen Danubii adsit; manifestum est, nos non falli, cum omnia in narrationibus auctorum optime conueniant.

(*f*) Si quid magis firmare potest sententiam meam, id certe erit, quod sequitur. Auctor enim noster postquam proposuerat Slauos tunc temporis illic habitasse, et trans-

transiisse Danubium, vel vt cum *Ouidio* a) loquar, super dorso Danubii congelato iuisse: addit porro transisse eos ex aduerso ejus regionis, quae turre quadam munita erat, nominata *Russi*. Ex quo statim apparet, lacum *Martianum* esse omnino eum, quem hodie *Russi et Rossone* apud Geographos *Gerardum* et *Leonardum Valk*; *Russowo* autem apud *Slauos* ibi commorantes nuncupari scimus. Antiquis igitur vestigiis nominis et situ ipso reperto, ad reliqua diligentius exploranda pergamus.

(*g*) Venia a Lectore sperata totum *Luccarii* locum adjecimus. Caeterum non possumus tacere, multae lectionis fuisse nostrum auctorem et magnam earum rerum, de quibus scripsit, probabilitatem; quale est illud, quod Nicephori et Pharasmani auctoritate de Alanis a Massagetis venientibus retulit. Qua re ostendit, *Procopium* temere eos Gothos putasse, vtpote qui sibi ipse non constet, vbi de Vandalorum migrationibus loquatur. Postquam enim iis non minus originem Gothicam tribuit, asserit Vandalos ob damna, quae passi fuerant, coactos fuisse, vt foedus cum Alanis ad occupandam Hispaniam inirent. Cum probabile igitur non esse videatur, eandem gentem secum foedera iniise, plurimorum auctorum testimoniis credamus, Alanos a Massagetis ortos fuisse. Quod ad *Tomirin* eorum reginam adtinet, ego quidem, cum res narratas confirmare studeam argumentis ex locorum, quorum mentio fit, situ desumtis, in tabula *geographica Valkiana*, reperio *Tomirar* oppidum esse non procul a Danubio et Mari nigro

 dissitum

a) Lib. III. eleg. 10.

„Ille suis liquidus bella repellit aquis.
„Ac cum tristis hiems squallentia protulit ora
„Terraque marmoreo candida facta gelu.„

dissitum. Dubitaui statim, an *Tomirar* hoc conueniret quodammodo cum Insula illa antiqua Peucinorum Bastarnarum sede ad Tomos in mediis ostiis Danubii; alterum vero propius versus *Russowo* lacum reperitur.

(*h*) Vel hic locus illustratione maxime indigere videtur vt in vniuersum rei veritas appareat. Statim enim cuique mirum videbitur, legere flumen Albis nomine prope Danubium. Id quidem a Slauis Bohemicis appellatum etiam fuit Laba, aut Labud, quod Cyganum significat: Romani vero, qui vel explicationem hujus nominis quaerebant, vel ad albicantem aquam respiciebant, Albim dixerunt. Sed de flumine Albi in Misnia nulla hic quaestio. Quod vero ad *Labam* ipsum aut *Labut* attinet, plures hujus nominis fluuii in Illyrico inueniuntur; is vero, prope *Labacum* praeterfluit; (nam *Labacum* latinum non solum a *Laba* formatum est, sed a fluuio ipso, qui illic praeterfluit, et qui nunc etiam *Laba* dicitur, ita est appellatum.) *Labacum* autem non multum distat a sede Carniolae principali, quae Kraina, Germanice Krainburg appellatur. Prouincia finitima Croatiae a Slauis dicta *Horbaty* seu montosa regio, nam *Horby* montes sunt Slauice. Si quis plura de geographia hujus regionis scire desiderarit, conferat Carniolam *Schoenlebenii.* a) Noster autem auctor loquitur, de Carniola aut antiqua *Karnia* vel *Krainia,* quae Venedico idiomate *limitem* significat, atque *Ostrywoy* aedificasse affirmat in ea regione vrbem, ex nomine suo dictam *Ostrowinam*, quae a Krainburgo non multum distat; et post condidit *Slawingrod,* quam Germani *Vendilgratziam* appellant, sitam in Cilia antiquo Slauorum domicilio. Quod vero adtinet ad alios

a) pag. 174.

alios fluuios, *Laba* dictos, ipse *Luccarius* a) nobis omnem dubitationem eripuit „Mechmet . . . . si fece veder a „Cossouo ed alle riue di fiume Sitnica e Laba. „ Ideoque *Kossowopole*, vbi haec flumina citata in finibus sunt *Bosniae*, olim Illyricum fuit, ibique reperiuntur; vicinum illis tandem est *Krakowo* aut *Krakowopole;* et ad latus dextrum *Prusacz* ad fluuium Brussum. Brussum vero, seu Prussum *Diocleas* ait fuisse fratrem *Ostriwoy;* fluvius autem *Verba*, Venedice a *Verba* hoc est *salice.* Non procul etinde adhuc legitur *Ostrowina*, de qua superius dictus. Per Carnos in Carinthiam recta itur, ad loca superius memorata.

(*i*) Hoc loco docemur a *Luccario* antiqua fluuiorum nomina; *Sauam* nempe esse *Nouarum*, *Sawa* enim Venedica lingua, seu *Sawita* quasi aqua copiosa. *Drawa* olim fuit *Bergus*, et Venedice est *flumen omnia secum abripiens.* Nomen *Ostrowoy* aperte est Venedicum, et significat acrem in bello; atque similium nominum plures in Polonia exstiterunt heroes, exempli causa Slauoy, Budziuoy, Sendziuoy, Nauoy, Boriuoy, Przeduoy, et Nadziuoy &c. Spero, Lectorem facile veniam mihi esse concessurum harum digressionum. Videntur enim maxime illustrare historiam Slauicam, nec a proposito meo, quod inscriptione indicaui, plane sunt alienae.

Vt primam hanc operis huius partem tandem ad finem perducam, his duo tantum addam. Primo igitur, si *Iornandem* Gothicum auctorem, et *Nestorem Russicum* Scriptorem examinauerimus, liquebit, Slauinum esse eam ipsam tunc nouam Ciuitatem a Iornande appellatam, cum legamus a *Diocleate* relatum, Ostriuoyum in Carniolam trans-

a) Lib. III. p. 95.

transgreſſum, Slauinum condidiſſe: Grad vero adjectum nihil aliud eſt, quam Ciuitas; ergo haec vrbs, appellari aliter non poterat, quam Noua Ciuitas Slauinum. Quod ſi enim primitiua trans Danubium fuerat Ciuitas, cum inde Slaui hoc flumen tranſirent: illo tempore non oportet quaerere eam nouam ciuitatem cis Danubium. Ad confirmanda vero ea, quae *Diocleas* dicit de Oſtriuoyo auctorem Ruſſicum conſulere opus erit *Neſtorem*, qui de Ruſſo loquens, eum a Danubio dicit aduenisse, eaque in re conuenit cum *Diocleate,* licet bonus ille monachus, nunquam potuerit vel verbum audire de hoc auctore, multo minus eum ad manus habuerit. Annalium ſcriptor Nouogrodenſis (Latopiszec) ait prope Nouogradiam ciuitatem Slawensko conditam. Liquet igitur hiſtoriam Ruſſi hoc in loco conuenire cum rebus geſtis Oſtriuoy, a Diocleate traditis: vterque enim voluit conſeruare memoriam antiquae ſuae vrbis Slawini, ſignificat vero Miaſto Slawin ciuitatem celebrem et glorioſam. Cur igitur ad iſtas veterum Etymologiarum obſcuritates redeamus, cum haec tam clara ſit, quam quae clariſſima, per quam Slauorum nomen ab vrbe Slauin, ducitur, et a qua hic populus facile vocari potuit Slauanorum, quia ab vrbe Slauin venerat. Pari modo Ruſſi a Danubio et lacu Ruſſowo venientes, aliter appellari non potuerunt, quam Ruſſowie, id eſt quod nunc Rutheni. Vtrum vero Princeps Ruſi dictus fuerit a Ruſſowo, an ille Lacus a poſſeſſore Principe, quaeritur, vtraque autem ſententia facile poteſt admitti. Alterum nunc eſt, cum probauerim, lacum Myſianum vel Martianum eſſe illum, qui hodie dicitur Ruſſowo, vt inde concludam, nulli ſcriptorum Ruſſicorum fidem hac in re diverſe ſentientium eſſe habendam, vel ſequendas opinio-

nes

nes exterorum, qui aliam gentis originem ex ingenio suo inuenerunt.

Slauos vero, Russos, Graecis Roxolanos a Danubio vsque ad Tyram habitationes habuisse, vt ex aliis, ita inde etiam intelligi potest, si Bialgrod Slauice est album castrum aut Moncastrum versus ostium Tyrae, vt noster Broniowski in Itinerario habet, Hermonassa *Plinio* et *Melae*, et in ipso ostio est Neoptolemi turris hodie nigra dicta a Legato Mithridatis condita, qui *Roxolanos* vicit, periitque. Confer *Andream Cellarium*.

SECTIO II.

RECENSIO AVCTORVM DE EODEM LACV TRACTANTIVM EX SVPERIORIBVS TEMPORIBVS.

De Cluuerii sententia judicium.

Complures scriptores reliquerunt nobis tentamina super celebri lacu illo, vtpote materia digna eruditione et disquisitionibus ipsorum, instituta. Quodsi in hac re versati sunt plurium prouinciarum eruditi, multo magis interest ipsius gentis Slauicae hac ratione melius eruere suam originem. Primus quidem locus merito conceditur *Philippo Cluuerio*, vt qui primus diligentius nobis situm delineauerit antiquarum Germaniae gentium, geographus in iis inprimis rebus vbi, opinionem suam grauibus firmat auctoritatibus doctissimus. Nec negari potest, notissimos ei fuisse veteres geographos, eumque vere esse Germanorum Strabonem, modone studio nimio abripiatur, ad limites populorum patriae suae transeundos. Hoc tamen vitium cum tot aliis scriptoribus commune illi est, nec

vero impedit, quo minus doctissimis eorum disquisitionibus vtamur, et vtilitatem inde capiamus eo maiorem, quo diligentius eorum dicta examinemus. Totum eius locum in medium adduco, vt pateat Lectori, quid senserit de nostro illo Lacu a): „Getas, inquit, heic intelligit Strabo „per Thracum vocabulum, vt ex praecedenti eius ora- „tione liquet. Idem auctor Lib. II. ait: maxime vero „nostrae aetatis homines certius aliquid dicere possint, de „Britannis Germanis et Istri accolis tam interioribus, quam „exterioribus, Getis, Tyregetis et Bastarnis. (*a*) Atque „hinc est, quod apud *Ptolemaeum* in dextra Istri ripa ad „lacum, a quo in sex scinditur alueos et ostia amnis (*b*) „Νουιδουνον Nouiodunum legitur oppidum (*c*), vocabulo, „more Celtico siue Germanico (*d*) quasi Neudum siue „Nudun. (*e*) Id referunt post *Ptolemaeum*, *Antonius* in iti- „nerario, Tabula itineraria et notitia imperii: hodie dici- „tur Niuorz. (*f*)

„Lacus igitur esset Musianus, siue vt alia ferunt exem- „plaria auctoribus, Mysianus (*g*) nullus alius, quam apud „quem in Mysia antiquis illis auctoribus recensetur Nouio- „dunum (*h*) quod et ipsum est ciuitas Noua *Iornandis*, „quae forte ipsis Bastarnis Germanis (*i*) tunc Neustat vel „Neustät dicta, vt et alia in eadem ripa eademque Moesia „vrbs, *Ptolemaeo*, *Antonino*, ac tabulae ipsique *Iornandi* „dicta Nouae, (*k*) de qua sic *Iornandes*. Post cuius discessum Cniua exercitum diuidens in duas partes, nonnul- „los ad vastandam Moesiam dirigit, sciens eam, negligen- „tibus principibus, defensoribus destitutam, ipse vero cum „LXX. millibus ad *Euthesium* id est Nouas descendit, vnde „a Gallo duce remotus, Nicopolim accedit, quae iuxta „Iastrum

a) Lib. III. pag. 184.

„Iaſtrum fluuium eſt conſtituta. Lege Neuſtetium et „Ciabrum, vrbem enim quam, Romani Nouas, Gothi „has oras tunc obſidentes adpellauere Neuſtät.„ (*l*)

(*a*) Id primo, a quo *Cluuerius* locum de lacu Myſiano inchoat, quod nimirnm Getae a *Strabone* pro Thracibus fuerint habiti, me non moratur. Dicam ſolum modo, neutram harum nationum lacui, de quo nobis ſermo eſt, vicinam fuiſſe. Getae enim per montes, qui Myſiae limites efficiebant, incluſi erant in antiqua Dacia (Tranſiluania;) Myſii vero, qui verſus Pontum Euxinum ſeſe extendebant, quorumque ea regio proprie Myſia inferior appellabatur, erant Thracum vicini. Interiacentibus igitur inter Getas Thracesque Myſis, iſtae duae gentes non debent confundi, cum ne vicinae quidem fuerint. Tranſeamus autem iam ad ea, quae propria huic operi ſunt.

(*b*) Nondum mihi in mentem venerat, examinare iſtius lacus ſitum, cum *Cluuerium* legerem; adeoque eum tum eo modo legi, quo ſcriptores legere ſolemus, id eſt, vt intelligamus, quid omnino eorum libris contineatur. Poſtquam vero ſtudio hiſtoriae patriae me dedi, impoſitam mihi credidi neceſſitatem inquirendi diligentius in antiquas Slavorum ſedes; auctoresque, quos hanc ob cauſſam conſului, et in prima operis mei parte commemoraui, oſtendent, vnde hauſerim ea, quae attuli. Licet autem quodammodo eiusdem cum *Cluuerio* ſim ſententiae, vt nempe lacum iſtum verſus Danubii oſtia quaerendum putem, tamen in eo, quod non nullum in hiſtoria momentum habere videtur, ab eo diſſentio, quod non, vt Cluuerius, lacum in dextra Iſtri ripa conſtituam. Id quidem fateor, habere illum quandam, quae fallat, veri ſpeciem: tamen

si rem vere aestimes, non poteris, quin lacum istum esse ad laeuam Danubii locandum iudices, ob duas has rationes. Russici auctores toties a me commemorati maiores suos venisse dicunt in Russiam, quae nunc dicitur, a Danubio; non vero vltra Danubium habitasse. Cuius rei testimonium est in canticis Russorum, maria et flumina adorantium, quibus plebs Russica celebrat humidos istos Deos suos, omnibus, teste Lomonossouio, incipientibus a voce Dunay, eaque saepius repetita, Dunay enim Danubii etiam nomen est. Graeci contra scriptores, *Porphyrogeneta, Diocleas* affirmant, Slauos, qui Illyricum inundauerint, vltra Danubium olim incoluisse, id quod vno ore omnes Dalmatici Ragusaeique auctores affirmant. Narrant enim, eos venisse a lacu quodam, a quo Danubium transgressi fuerint prope locum quendam, dictum Russowo, itinere dimidiae diei absoluto. Tandem et *Procopius*, obiter licet, paululum tardius adspergit, inde ex eo tempore, quo Slaui interfecerant Chilbudium, ducem Iustiniani, omnes Slauos transgressos esse Danubium. Iam viri eruditi iudicent, an ad euitandas has non leues difficultates, non rectius situs lacui ad laeuam Danubii assignandus sit. Praeterea lacus ille *Cluuerii*, qui a sexto Danubii alueo effici dicitur, hodie ab vrbe vicina appellatur Babadach, aut Baba, sed proprium eius nomen est Karassiow. Nonne igitur apparet, venisse Russos ab altero lacu, qui etiamnunc insignitus est nomine Russowo? Quod si bene examinauerimus lacum Karassiow facile obseruabimus ostium istud Danubii, eum que non minus ac lacum Constantiensem per quem Rhenus transit, reuera posse lacum nominari, sed effici ex defluente fluminis aqua, cum contra Russowo sit verus lacus, a natura per aquas subterraneas formatus, non vero a flumine aliquo effectus. Alius quidem praeter

ter hunc, lacus eſt prope Ismail, ſed is a Danubio dimidia milliaris parte tantum; non vero dimidii itinere diei ab iſto fluuio diſtat, quae tamen diſtantia neceſſario requiritur. Praeterea reperitur lacus, quem Prut fluuius efficit prope Galacz, etiam ſupra Danubium ſitus, ſed adeo paruus, vt ne proprium quidem nomen habeat. Qui autem docere vult, is probe diſtinguat oportet,

(*c*) En iam iſtud oppidum Nouiodunum. Et hic *Cluuerii* noſtri deprehendemus negligentiam. Primo enim nonne plura ſunt huiusce nominis oppida in diuerſis pene regionibus ad Danubium, vel non longe a flumine ſita? deinde hoc nimis vage dictum eſt, ad Oſtia legitur Nouiodunum. *Cluuerius* vero merito addere debuiſſet, ad quem Nouiodunum ſitum fuerit Danubii alueum, et ex qua aluei parte, ob cauſſas ſupra iam memoratas. Nos quaerimus nouam ciuitatem, dictam Slawino Rumunenſe. Noua ciuitas eſt oppidum recens conditum, ſed dum additur ad nouam ciuitatem aliquod nomen poſtea et illud eſt nouae ciuitatis verum proprium et ſingulare nomen, vti hic per ſignificationem Slauino indicatur. Hic vero propter diſtinctionem aliquod additur cognomen Rumunenſe. Sed ſi ex aliis ſcimus, Iornandem nomina propria Gothica, vt ita dicam, latinitate toties totiesque transformaſſe detorta, ſimilitudo vocabulorum nos adducit, vt credamus, Rumunenſe eſſe Ruſſunenſe, non vt *Chriſtophorus de Iordan* a) putauit, Slauinum Rumunenſe hodiernum eſſe Rumunazzi in Valachia. Rumanazzi Sclauice vocatur Romanow, ciuitas omnino recentior et a quodam duce Valachiae Romano aedificata. Pari modo hodie omnes pro lacu toties nominato Muſiano habent Myſienſem

a) De orig. Slav. T. II. S. 32. n. 473.

fienfem, quod *Iornandes* Mufianum altero loco Myfianum dixerat, quia et ratio et omnis rerum conditio hoc euincunt.

(*d*) Ergo Cluuerus non inuenit lacum Mufianum, nec Nouiodunum Slauorum, fiquidem fubito fibi ipfi repugnet, cum Nouiodunum dicat „vocabulo more Cel„tico fiue Germanico quafi Nedun fiue Nudun.„ Si Celtarum, fiue Germanorum vocabula moresque inuenire licet circa lacum Myfianum, certe non noua ciuitas Slauino effe poteft, adeoque nec nidus Slauorum.

(*e*) Additur, Nedun vel Nudun effe graece Nouiodunum. Heu quanta licentia fcriptores vtuntur, qui fui ingenii amore decepti, dum fua defendunt, inuaduntaliena. Si dicerem, Nouiodunum effe Nowydum quod in Slauico idiomate fignificat nouam domum, nonne magis apta haec etymologia effet? Sed cur, quaefo, a veritate declinem ad fingendi libidinem, cum tot auctorum teftimonia mihi fint in promptu?

(*f*) Videsne, Lector, quam apte ftatim poft illud Nedun Celticum auctoritas fequatur *Ptolemaei, Antonii* Itinerarium et Notitia Imperii, et Nedun, iam Niborz hodie, vt, ait vocatum; quia folent pro *b.* litteram *v.* fupponere. Nibor enim eft mere Slauicum, fi quem e hac gente interroges: refpondebit, locum fignificare fyluis deftitutum. Dixerim tamen, hunc locum recens effe a Bulgaris in antiqua Myfia locatis, appellatum. Sed ex Nouioduno Nedun Nudun et Nibor facere, qua ratione liceat, non video.

(*g*) Fallitur *Cluuerius*, cum aliis in libris auctumet legi Myfianum, non Mufianum. Idem liber habet pag, 16. Mufianum, et pag. 14. Myfianum, id quod tamen collatis codicibus debuit et potuiit demonftrari.

(*h*) Nullum

(h) Nullum alium lacum esse posse, quam illum *Mysianum* ad *Nouiodunum*, id apparet ex eo, quod alii auctores *Martianum* lacum alii rursus Murcianum, alii aliter appellarint, vt videbimus. Adeo diuersae sunt hominum sententiae. Sed primo nondum demonstratum est, sed suppositum, lacum *Musianum* esse *Mysianum*, siquidem et *Marcianus* ab aliis vocetur. Sume tamen, tum vocatum fuisse lacum Mysianum, quia erat in media inferiore Mysia et vtraque Danubii ripa ad Mysios, antiquissimum populum, pertinebat, antequam Barbari Danubium transiissent, (Romanis Graecisque ipsis vltra fluuium habitantibus, *Mysiani* poterant noti esse scriptoribus;) sume, inquam, Musianum esse vere Mysianum, nonne *Iornandes* tantum ad designandum situm eius ita eum appellare potuit, quia in Mysia situs erat, vt inferius ostendam? Lacus erat in campis desertis, adeoque non designari poterat alio nomine, quam a regionibus vicinis repetito; quod factum esse, ex scriptoribus colligere licet. Quod si vero lacus ille a Romanis, vt alii volunt, Martianus est appellatus, de Mysiano nulla amplius erit quaestio. Nonne enim etiam Marcianopolis, quae hodie est Pristawa, (non vero, vt vulgo scribunt, Prishlaba,) ad Euxinum Pontum vltra Wranam (non Pranam) et Ciszam (non Thizam) ad radices Haemi vrbs sita est, a qua lacus non ita procul distans, nomen facile capere potuit.

(*i*) *Cluuerius* hoc loco decernere audet, Bastarnas esse Germanos, id quod Tacitus maluit non pronunciare, quam Bastarnas Germanis annumerare, vel potius Germaniae populis, cum Germanorum nomen ipsi plane nouum esset. Plinius vero et Ptolemaeus Sarmatas esse eos, dixerunt. Ipse vero sibi auctor noster difficultates mouet, cum nimis

nimis extendat Bastarnarum regionem ad fontem nimirum fluuii Apri, quam nunc dicit appellari Wieprz, oririque affirmat in loco dicto Zaremba. Duo inde contra ipsum argumenta duci possunt; vnum quidem, quod Bastarnas constituat in media Sarmatia, alterum vero quod ipse indicet, Slauice eos locutos. Nam Zaremba et Wieprz sunt voces Slauonicae, et hoc exemplum docet, quae eueniant nonnunquam linguarum ignaris. Zaremba enim est sylua, arboribus deiectis munita, idem quod Bronybor, quae vox hodie mutata est in (Brandenburg) Brandeburgum. Quod ad Zarembam attinet, sic enim, non Zareba dicendum est, is locus amplius iam non reperitur, sed Wieprzowe Iezioro nunc vocatur, fons seu lacus Apri.

(*k*) Alia tantum, quam auctor noster cogitabamus, qua ad ripam Danubii, cum putaremus, nouam ciuitatem, Slavino, quaerendam esse ad ostia Danubii; iam vero cluuerius de Neduno, vel Nuduno suo ipse non satis certus, quadraginta fere millia vlterius inuenit Nouam, et statim temere asserit, esse eam origine Neustat, vel potius Neustät. Iam cuilibet ea in mentem venient, quae initio dixi multas Nouas esse ciuitates. Cluuerius autem noster negligit, cuius mentio hoc in loco necessaria erat, lacum Musianum. Rogare adeoque licet quemlibet lectorum, an sibi persuadere possit, apud Slauos in istis locis inuentam vrbem Neustät nominatam.

(*l*) Videsne ex comemorato Iornandis loco apparere, illi esse duas Nouas ciuitates dum, hanc ait Nouam, seu nouam ciuitatem Euthesium, nostram vero Slauino, primam quidem superius et Nicopolim inferius ad Iastrum, vbi Istrum lege, non Ciabrum, nec Cebrum. Nec illud negligendum est, *Iornandem* addere, „descendit„ alteram

teram Slauino ad lacum Mufianum fitam; ex quo manifefto licet colligere, *Iornandem* illic non agere de noua aliqua ciuitate, fed de noua, in loco opportuno inftituta vrbe Euthefio, hinc vero de noua ciuitate Slauino. Noua enim ciuitas Slauino fignificat apud nos nouam ciuitatem famofam, vel infignem; noua vero illa vrbs, Euthefium, eft civitas opportuno loco fita aut munita. Et haec quidem documento effe poffunt, quam facile is, qui nimis multa fciat confundi et ad res alienas et plane fuperuacaneas delabi poffit, praefertim fi earum copia obrutus, de omnibus fatis diligenter judicare nequeat. Iam lectori judicivm relinquo, qui in fine hujus fecundae partis intelliget, *Cluuerio* nifi in rebus hiftoricis nimis rerum abundantiae dediffet, lacum Mufianum, quem Ruffowo appello, obferuaturum fuiffe.

Sententia de quibusdam a Mafcouio laudatis Auctoribus.

Magnum in antiqua Germania virum alius fequatur non minus eruditus *Ioannes Godefredus Mafcouius*, Polono-Boruffus optime meritus de hiftoria Germanica, qui cujus fententiae fuerit, ex auctoribus cognofces, ex quibus haufit, quae de Noua Ciuitate fcripfit; quorumque loca hic adducere, non praeter rem videtur.

Eugippius a) quidem, ita loquitur: „Fridericus poft „Seuerini mortem veftes ejus et Altaris calices rapuit; hinc „intra menfis fpatium a Friderico fratris filio interfectus. „Quapropter Rex Odoachar Rugiis intulit bellum, quibus „deuictis et Friderico fugato, patre quoque Faua capto, „cum ad Italiam cum noxia Conjuge fupra memorata, vi„delicet Gifa, transmigrauit. Poftea audiens idem Odoa„char

a) In Vita S. Seuerini C. 45.

„char, Fridericum ad proprios reuertisse, statim fratrem „suum cum multis exercitibus Aonulfum misit, ante „quem denuo fugiens Fridericus ad Theodoricum Re„gem, qui tum apud Nouam Ciuitatem prouinciae My„siae morabatur, profectus est, Aonulfus vero, praecepto „fratris admonitus, vniuersos jussit ad Italiam migrare „Germanos.„ Alter *Mascouio* auctor est *Marcellinus*, a) qui „Theodoricus, inquit, Gothorum Rex, Zenonis Au„gusti nunquam beneficiis satiatus, magna suorum manu „vsque ad Regiam Ciuitatem et Melentiadam oppidum „infestus accessit, plurimisque locis igne crematis ad No„vensem, Moesiae Ciuitatem, vnde aduenerat, remeauit.„ Vltimus ex Scriptoribus, quos *Mascouius* laudat et Anonymus *a Valesio* editus, haec tradit: „Mittens (Zeno) Theo„doricum ad Italiam pactus est, vt si victus fuisset Odoa„char pro merito laborum suorum, loco ejus, dum adue„niret, tantum praeregnaret. Ergo superueniente Theo„dorico patritio de Ciuitate noua cum gente Gothica mis„sus ab Imperatore Zenone de partibus Orientis ad de„fendendam sibi Italiam.„

Asylum Friderici Rugici Principis, qui tum si *Schwartio* fides est habenda, possidebant Austriam, apud Gothos quaesitum, Nouam nobis Ciuitatem indicat, quae vero Romanorum non Slauorum olim fuit. Haec enim rerum erat ratio. Imperatores Orientis aeque ac Occidentis jam nimis debiles, ad vnum malum ejiciendum, plura alliciebant. Vt vni, inquam, barbaro resisterent populo, alios maximo pretio sibi conducebant defensores. Valentinianus quidem, vt Attilae resisteret, non solum confirmavit conditiones antea Theodorico Visigothorum Regi con-

a) In Chronico Boethio Consule ad annum 487.

conceſſas, ſed nouas etiam adjecit Regi iſti vtiliſſimas, quibus inuitaret ipſum, vt copias ſuas exercitui Imperatoris jungeret; vectigalque adeo ipſi ſoluit. Loci cujusdam memini ex hiſtoria Inſubriae *Eryeii Puteani*, a) qui multum me commouit. Scribit ipſe: „Annuo tributo, proh pudor „pacem ab Attila Valentinianus emit, Auguſtus a Barba„ro, et clade, quam dedecore carere imperium maluit. „ Quo facilius credere poſſumus, reliquos Imperatores dediſſe prouincias terrasque vt barbaros quaſi demulcerent, maiora enim ſunt, quae Valentinianus fecit. Intelligitur vero, eos ea dediſſe, quae ipſorum erant, adeoque nihil certius quam iſta duo *Marcellini* et *Eugippii* b) loca euincere poſſunt, Nouam Ciuitatem ſitam in Myſia, inferiore, in poteſtate fuiſſe Imperatorum, cum ab iis data fuerit Theodorico Oſtrogothorum Regi pro Durrachio, Imperatori reddito. Situs vero iſtius vrbis ab his duobus ſcriptoribus non eſt definitus, nec ſcire adeo poſſumus, fueritne in ſuperiore an inferiore Myſia, niſi ea nobis in animum reuocemus, quae *Iornandes* ait, eam ſupra Nicopolim eſſe ſitam, id eſt in ſuperiore Myſia. Tertius autem auctor isque Anonymus, non dicit, in quanam prouincia Noua ipſius Ciuitas fuerit; notum enim eſt, fuiſſe etiam Nouam Ciuitatem in Pannonia, de quo paullo inferius dicemus.

Omnia tamen haec teſtimonia, vt dixi, ad ſolam Ciuitatem pertinent; nemo vero horum ſcriptorum vel minimam quaeſtionem mouet de lacu, ſine quo tamen quae de noua Ciuitate traduntur parum luminis nobis adferunt. Ex hoc igitur et ex argumentis reliquis, quae modo adduxi, perſpicuum eſt, hanc non eſſe no-

 vam

a) Lib. III. p. 10.
b) *Iornand.* de R. Get. c. 57. et de regn. ſuec.

vàm ciuitatem Slauinum Rumunense, nec lacum Musianum aut Martianum.

Sed Lectorem oportet meminisse, *Cluuerium*, non magnopere sollicitum fuisse de Noua ciuitate inuenienda, vnam enim reperit in inferiore Mysia, alteram vero Novam Ciuitatem in superiore Mysia detexit, alteram tandem ad ostia, quod conciliari potest cum scriptoribus Polonicis Russicisque, licet plane nullum cum Romana historia nexum habeat.

Attamen in eiusmodi rebus dubiis confugere nos oportet ad duo historiae praesidia, geographiam et chronologiam; priorem quidem hactenus semper adhibuimus, et porro adhibebimus, alteram vero saltem quoad res Sarmaticas paulo altius repetam ad epocham migrationis Russorum illustrandam.

Anni.	
425.	Pannonia est occupata ab Hunnis.
435.	Postea legimus, Aetium Hunnos e Pannonia in agrum Romanum acciuisse, eorumque aduersus Gothos auxilio vsum. a)
436.	Iam Romanis infesti cum Attila et Bleda Hunnorum Ducibus, Thraciam et Illyricum depopulati sunt.
439.	Attila Illyricum vastat.
443.	Atque adeo Gallias inuadit. b)
449.	Licet *Porphyrogeneta* de Ragusae fatis rem saepe reuocet, nos contenti sumus seu Porphyrogenetae, seu Bandurii auctoritate, qui obseruauerunt, in Illyrico vel Sarmatas, vel Vendos hoc anno sedes collocasse; nobis vtramque amplexuris sententiam sufficit, multo ante Iustiniani tempora hoc factum esse.

Gothos

a) *Prosper Slauin.* b) *Marcell. Alex. Chron. Iornand.*

Anni.

Gothos et Sarmatas alteras jam nationes idem Aetius in Hunnos ipsos concitauit, Slauini Russi migrant versus Septentrionem, ergo ab Hunnis pulsi sunt. a) — 450.

Postea idem etiam Aetius Gothos irritauit, contra immensas copias Hunnorum, in quo funesto illis bello Sarmatas etiam junctos Gothis inuenimus; quorum soboles sunt Slaui. b) — 451.

Mors Attilae, qui Slauos in suas partes pertraxit. — 454.

Odoacer Rex Turcilingorum (*Longino* nostro Ruthenorum) cum Scythis et Herulis auxilium praestantibus Romam occupat. Qui hic Scythae dicantur, de hoc quaestio est difficilis: nempe Phelereus aliorum Scytharum, seu Rugorum Rex, vt superius ex *Procopio* monui, occisus est ab Odoacro. c) — 476.

Bulgari in Illyrico sedes habebant, imperante Zenone. Quare *Iohannes Zonaras* ab Anastasio propter epocham Bulgarorum tardius constitutam reprehenditur. d) — 480.

Theodoricus, Gothorum Rex, magna suorum manu vsque ad Regiam Ciuitatem et Melentiadam oppidum infestus accessit, plurimisque locis igne crematis, ad Nouensem Moesiae Ciuitatem, vnde aduenerat, remeauit. e) — 487.

Busas, seu Brisas, potius Brusas, Rex Bulgarorum Theodorico, Regi Gothorum, in Italiam per Illyricum tendenti, insidias molitur, sed superatus est, Bulgari ex Honogunduris et Contragenis certo sunt Slaui. f) — 488.

Slaui, Auares, seu Abares jam cum Hunnis, Gothis, Illyricum relinquentibus, coniunguntur. — 489.

 Theo-

a) *Nestor, Theodosius, Longin.*
b) *Iornandes.*
c) *Cassiodorus.*
d) *Paul. Diac. lib. I. c. 2. Prosper in Chronico.*
e) *Marcellino in Chron.*
f) *Paulus Diac. Lib. 16.*

Anni.

491. Theodoricus, Rex Gothorum, hortatu Zenonis Italiam recuperat. Odoacrem Regem Turcilingorum fraude occidit. In Illyrico cum Brisa (potius Brusa) Rege Bulgarorum fortiter pugnauit. Ecce tibi iam Slauos, Bulgaros in Mysia et Illyrico.

eod. Anastasius, mortuo Zenone, Imperator creatus, imperio per 27. annos praeest; quo imperante, Slaui Danubium sunt transgressi. Idem imperator feliciter bellum gessit cum Bulgaris, qui tum temporis Thraciam deuastare coeperant. a)

eod. Theodoricus regnare incipit in Italia, imperatque ibi per 35. annos.

518. Moritur Anastasius.

526. Moritur etiam Theodoricus.

Ex hac rerum gestarum summa liquet, Slauos Russos a lacu Danubioque migrasse circa annum 450. Slauos postea in Carniam et Croatiam demum circa annum 490. transiisse. Ideo si ad hoc tempus nouam ciuitatem Slavino tenuerunt, Noua Ciuitas, Euthesium *Iornandi*, alia certo fuit, non noua ciuitas Slauinum, siquidem Theodoricus illam imperatori Zenoni eripuit, et ex noua ciuitate Slauino Slaui, regnante Successore Zenonis, solummodo irruperunt. En tibi epocham emigrationis Sarmato-Slauorum ex Mysia. Sequitur jam immigratio. Andreas enim Cellarius in Descriptione Poloniae jam quatuor antea saeculis Roxolanos f. Roxonos, Moesiam inuasisse putat: Ait enim. *p. 301.* „Vbi Russi hodierni sedem suam habent olim Roxolani, vel Roxoni sederunt. „Hi, Romano Imperatore Ottone Syluio imperante, Moesiam vicinam inuadere coeperunt. Verosimile autem est „Roma-

a) *Diocleas.*

„Romanorum potentia per Gothos, Hunnos, Vandalos, „Alanos &c. fracta, ipſos poſtea non ſolum dictam Moe„ſiam, verum et Daciam, Pannoniam, Dardaniam, Libur„niam, Illyricum, Dalmatiam et Iſtriam ſibi ſubjceiſſe. „Thraciam autem et Macedoniam vehementer afflixiſſe, „ac tandem graecam linguam penitus corrupiſſe, mul„tisque facinoribus ſtrenuis feliciter editis, Slauorum vel „Slauinorum nomen, quod honorem et gloriam ſonat, „ſibi arrogaſſe. „

Sententia Abelii de lacu Muſiano.

Maſcouium auctorem de hiſtoria Imperii Germanici optime meritum excipiat jam *Abelius*. Is „his, ait verbis, „Iornandes eorum ſedes deſcribit. Sic enim opinor le„gendum, Slauini a Ciuitate noua et Slauinorum inſula et „lacu, qui appellatur Muſianus vſque ad Danaſtrum et in „Borea Viſcla tenus commorantur. „ Nunc *Abelius* „hic „quidem, ait, neſcio quam Nouam Ciuitatem velit, quia „vero lacus Muſianus eſt ſine dubio ille, qui nunc vocatur „lacus Neuſidlenſis, nominatus Muſianus a vicina vrbe „Muteno, vel Muſonio, nunc Moſon, germanice Wiſel„burg: credibile mihi videtur, non eam nouam Ciuita„tem, quae nunc in inferiori Auſtria eſt, ſed vrbem Re„gum Hungarorum ſedem Regiam tunc forte recens ae„dificatam, nunc vero ob vetuſtatem antiquam Ciuitatem „vel Altenburgum vocatam, ſitam ad Danubium intelligi, „vbi etiam inuenitur Slauinorum inſula, (ſic enim loco „Slauinorum Vn nenſe lego) nempe inſula dicta Schütt in „Danubio. „

Quis quaeſo ſatis felicem et ſollertem *Abelium* non judicet. Omnia legit, quae vnquam quis legere poteſt, ſatis ſubtiliter multas res conciliauit, nec contentus ſen-

tentiis

tentiis, quas diuersi auctores de lacu Musiano exposuerunt, studuit plus luminis affundere loco *Iornandis*, certissime corrupto. Inserit Insulam Slauinorum pro Slauinorum Vnense, sed tandem iisdem implicatur impedimentis, quibus *Cluuerius;* duas nempe inuenit nouas Ciuitates: id quod me superius induxit, vt dicerem, plures, quam opus esset, adesse Ciuitates nouas, quibus tamen desunt, quae requirimus. *Abelius* vero magis hac in re, quam *Cluuerius* animum aduertens, lacus, de quo quaeritur, non est oblitus, et reuera quidem quaelibet noua Ciuitas si vel super Danubio sit, hac re, quoad situm non satis distinguitur, adeoque ea non potest esse Slauinum. Statim autem quod *Abelio* obijciam, habeo, quod Slauinum a Slauinorum insula non potuit nominari; nam contra hic est a gente Slauinorum insula vocata. Mirum tamen est, *Abelium* mero casu deprehendisse verisimilitudinem, quae facile ipsum fallere poterat; statim enim lacum inuenit, prope antiquam vrbem Moson, vel Mosonium dictam, adeoque satis similem Musiano *Iornandis*, praeterea addit, se legisse, insulam Schütt dictam insulam Slauinorum fuisse. Sed primo quidem non debuisset nos celare auctorem suum, deinde vero situs ille nimis jam in superiorem Pannoniam progressus, non conuenit ea ex caussa, quod isto seculo Barbari nondum in vtramque Pannoniam adeo sese extenderant. Opus vero maxime est, quaerere lacum Nouamque Ciuitatem in regione, quae tum ad Barbaros pertinebat; facile vero, vt credam, induci possem, Altenburgam, quod hodie dicitur, esse antiquam vrbem Musson. Sed in antiqua vrbe nos inuenisse Nouam Ciuitatem Slauinum Rumunense, de hoc nec ego mihi, nec Lectorem, sibi persuasurum arbitror: nam cum contrarivm ejus, quod quaerimus, inuenimus fides euanescit. Quo

melius

melius vero hoc appareat, addam, duodecim milliaribus ab eodem Altenburgo vrbem Neustät inueniri, satis antiquam. Quod si illa igitur lacum haberet propinquum, multo verisimilius esset, hanc esse ciuitatem nouam istam Altenburgum, sed lacu caret. Verum tamen antequam de *Abelio* dicere desistam, memini me reprehendere *Cluuerium*, quod ab ostiis Danubii, vbi vere locus iste quaerendus fuerat, quadraginta milliaria et supra Nicopolin nescio quam alteram seu Neustat seu Nouam Ciuitatem invenerat: quid igitur iam iudicandum est de *Abelio* nostro sagacissimo alias Saxone; cum adeo altius centum quinque, vel centum decem milliaribus, quam *Cluuerius* ascendat, Pannoniamque non solum transeat, sed vix ipsis Pannoniae limitibus contineatur.

Argumenta Kercselichii ex opere eius eximio de Corbauia hausta. Verba eius haec sunt:

„Est quoque in hodierna superiore Slauonia a) aliquot „horis Varasdino remotum olim castrum, nunc pagus Mar„tianecz. Nomen hoc vtrum habeat a parochiali templo „S. Martini episcopi? aut a Castro veteribus Martene „vocato? Cui lubet, indaget . . . . vidi isthic lacum „maiorem coeno repletum. . . . . Et quia lacum illum a „Mura fluuio habere scaturginem relatum haberem, illius„que scaturginis extare certa indicia, quae monstrari va„leant, intellixissem; fors relata è Palatinis codicibus per „*Gruterum* textus Iornandis lectio ad lacum hunc respexit „scriptumque sit, a lacu qui appellatur (nempe ex sca„turgine) Muriano. . . . . Adducunt insuper *Iornandis* „textum: Slauini a ciuitate Noua et Slauino Rumunense „et

a) pag. 35.

„et loco, qui appellatur Murfianus vfque ad Danaftrum et
„Boream Vifclatenus commorantur: „ quem textum
Gruterus ex Palatinis codicibus legendum notat: „ Slauini
„a Ciuitate noua et Vnenfe et lacu, qui appellatur Muriano:
„vt hinc iterum intelligi velint, Noui Caftrum Vnnam
„fluuios atque Muram atque primas Slauorum fedes et
„territorii eorundem limites ab Vnna vfque Muram atque
„Murae in Drauum defluxu per Drauum; ac a recepto
„per Sauum Drauo Saui fluminis curfu, Belgradum vfque
„vbi Danubium influit Sauus, vt rem certam concludant.
„Verum ex relato textu patet: Slauinos a praedictis locis
„excludi non poffe, haud attamen primas fedes illorum
„ifthic fuiffe; Dein poft deiectas veteres vrbes nouas et
„cum nouis nominibus his in oris furrexiffe, caret dubio.
„Noui in pluribus locis eft ad oram maris, vbi Capitulum
„Nouienfe in Dioecefi Signienfi. Aliud fub Turcarum
„nunc imperio trans fluuium Vnna inter Coftaniczam et
„Zrinium loca confiniorum Bannalium. Ruma in Sirmi-
„enfi comitatu eft, vt hinc nafcatur dubium, an Rumu-
„nenfe? aut Vnenfe legendum fit? Illud Muriano non
„video, qua ratione pro Mura accipi debeat, dum fluuius
„effet Mura, non lacus, Muriano autem lacus fuerat.
„Quare non Murano Venetae ditionis, fiue Marano fta-
„gnis Adriatici maris circumdata Aquileiae parte ex ad-
„verfa ibi intelligatur? aut lacus alius nolim definire.
„Confequitur attamen, nec priorem textum ita clarum effe,
„vt abfque metu primae fedes Sclauorum eorundemque
„territorium in Pannonia poffint determinari.„

Judicium.

Infulas natantes fuiffe, fcimus, nunquam vero audi-
vimus, lacus ex loco vno in alterum migrare folitos, adeo-
que

que hoc in loco ostendere liceret abusum opinionum fictarum. Clar. *Kircselichii* Abbatis Opus satis magna auctoritate est vbique monumentis suffultum, res continet viris eruditis nouas diligenterque traditas. Non tamen eadem eius est ratio in rebus, quae ad antiquitatem istam barbaram pertinent, in qua nec scriptura, nec aliud istorum monumentorum genus, quae insignes locos ad posteros transmittebant, extabat. Tum enim cum ad opiniones nos conferimus, nobis felicia occurrunt argumenta, adeoque satius esse duco, si quis nunquam a verbis alicuius auctoris abscedat, atque in iis conciliandis diligenter versetur, vt ne quid insit, quod historiae, vel geographiae, vel inprimis chronologiae repugnet, vt infra exemplo quodam ostendam. Eius igitur, qui de auctore iudicat, est, rationem eorum, quae ille sentit, reddere, sed ita, vt ne a littera quidem aberret; attamen licet annotationes suas proferre, et firma adducere argumenta.

Puto autem Cl. *Kercselichium* sine dubio noluisse nouam de lacu, de quo iam agitur, excogitare opinionem, sed verosimile est, eum hoc vnum spectasse, quod *Abelius* Slauos nimis extenderat, non solum in superiorem Pannoniam, sed in ipsam Rugiorum regionem, quae hodie est Austria. Verum est, istum eos paululum in Sauiam retrahere, vbi Slaui sine dubio domicilia sua habuerunt, regnisque nomina dederunt. Sed in his geographiae ratio non est habita; quomodo enim Slauorum nidus quaeri poterat cis Danubium, in regione tum a Romanis occupata. Chronologia neglecta necessario peperit anachronismos; auctores enim Poloni, Russi et Dalmatici epocham diuersarum, quas Slaui fecerunt, migrationum constituunt annum 450. *Iornandes* autem loquitur de tempore antiquiori, quia de sedibus illorum primis disserit, quas necessario trans Danu-

bium quaerere oportet, cum nulla barbara gens cis Danubium habuerit patriam. Ad alias res transeo, quia nihil prodest nimis copiosa tractatio rei, quae claritatis luce eminet. Vno igitur verbo dicemus, quae *Kercselichium* induxerint, duo nimirum nomina Martianecz pagi nomen et flumen Mura. En plura, quae supponuntur, primum Martianecz esse antiquum Castrum Martene, vel ecclesiam parochialem S. Martini episcopi; porro supponitur, lacum, qui ibi est aquas per subterraneos meatus ex flumine Mura ducere; hinc auctor credit, hunc esse lacum Murianum *Iornandis*, qui legitur in codice Palatino, a *Grutero* edito. His omnino respondendum esse non puto, cum auctor coniecturas modo proferat, nullis aliorum auctorum testimoniis confirmatas, nec vlla veritatis specie commendatas, nisi quod ipse in eo loco se fuisse, affirmet. Eodem iure licebat, paulo altius progredi, id est duobus milliaribus a Martianecz et sex milliaribus a Vardino, vbi etiam est vrbs quaedam Nowygrad quae apud *Kercselichiam* desideratur et lacus, quem efficit fluuius quidam et insula; sed quantum quaeso haec loca distant a Danubio omnino requisito? Praeterea ipse versus finem, hanc suam coniecturam relinquit, ideoque et nos eam relinquimus. Ceterum, hic eius Hydrographiam corrigere non videtur alienum. Confer enim textum inde a verbis „vt hinc iterum„ et patebit ab eo de scriptos esse fluuiorum cursus omni geographiae ratione neglecta.

Nam Vnna in Sauum incidit prope castrum Sissekium, Sauus vero in Danubium, qui iam Ister vocari incipit, ad Albam Graecam, antiquum Taurodunum, Slauis Beligradum; Drauus autem paullo altius iam apud Essekiam Danubium influit, a Drauo, Mura excipitur infra Varasdino

Varasdino. Videsne in his cursibus fluuiorum describendis virum doctum a vera ratione plane aberrasse?

Hunc locum vero finire nequeo, quin fatear, me, quod quidem ad Nouas seu Nouas Ciuitates adtinet, non solum eadem cum clarissimo auctore sentire, sed alias mihi etiam eiusdem nominis ostendisse eum, quas hucusque ignorabam. Vt vno verbo dicam, in concludendo maturum iudicium mentemque cautam, cum summa in scribendo diligentia hunc auctorem iungere, censeo.

Audiamus nunc ex Collectione Russicarum Coloniarum Tomo V. pag. 382. per Millerum Professorem Historiae Petropolitanum edit. 1760. Petropol. ejus coniecturas, sane non probabilis.

Auctore antiquissimo Russorum historico St. Nestore: „Nouogardia eodem tempore, quo Kiouia a Slauis, a Danubio redeuntibus, aedificata est„ id quod ille anno fere Christi 450. seu medio seculo quinto factum esse putat. „Chronicon Nouogardiense ante haec tempora mentio- „nem facit vrbis Slowensk dictae, quae aliquo spatio ab „hac fuit remota; sed illa quoniam pestis et belli calamitate „diruta erat, Slaui a Danubio redeuntes, inde caussam arri- „puerunt vrbis suae Nouam ciuitatem appellandae (hoc est „Nouogrod, vel Nouograd.) Qui duo scriptores etsi de „temporibus valde remotis loquuntur, tamen testimonia „eorum non sunt spernenda, quia eius modi res facile per „traditionem potuerunt ad posteros propagari; praesertim „cum vestigia istius vrbis in Staroe Gorodischsche etiam „nunc extent. . . . . Locus *Iornandis* antiquitatem vrbis „probare potest: Slauini a ciuitate noua et Slauino Ru- „munensi et lacu, qui dicitur Musianus, vsque ad Dana- „strum (Dniester) Tyram et in Boream Visclam tenus com-

„morantur. Nec dubium iam esse potest, per ciuitatem „Nouam intelligi Nouogardiam, cum lacus Musianus „adiiciatur, tanquam signum, quo possit agnosci. Hic au- „tem est lacus Ilmen. Hunc enim *Chronicon Nouogardiense,* „antiquitus Moisk vocatum tradit. Quid autem Slauui- „num Rumunense sit, non intelligo.

Sequamur et in his examinandis hanc rationem, vt primum illa, quae in loco auctoris ad rem pertineant, exhibeamus. Quia vero totum opus nostrum latino sermone est exaratum et hunc locum ex Germanica lingua conuertimus. *Millerus* primum locum *Iornandis* adducit; inde conatur probare antiquitatem Magnae Nouogardiae ex argumento loci cuiusdam, quem opponit et qui, quonam in angulo istarum regionum fuerit situs ipse ignorat. Neque curat, istud praestare genti officium, vt ostendat, vbi maiorum fuerit domicilium antiquum, nec diligenter pertractat materiam, quae tot doctorum virorum ingenia iam exercitauit. Solorum Nouogrodensium satis antiquam fuisse originem probare contendit; quo vero modo id efficere voluerit, statim videbimus.

Si ipse Nestor, Theodosius et alii, de quibus infra, migrationem Slauorum factam esse asserunt a Danubio in Russiam, vti re vera facta est, Cl. *Millerus* primum tam Nouam ciuitatem, quam Slauinum Rumunense et lacum Musianum ad Danubium debebat demonstrare, quia ex verbis *Iornandis* comemoratis „vsque ad Danastrum„ liquet, Slauos venisse a Danubio, vbi quaerendus est omnino et lacus supra dictus, tendens, vt verbis auctoris vtar, ad Danastrum, qui dicebatur a scriptoribus Latinis medii aeui, vel ad Dniestrum, quem dicunt Slaui id est ad Tyram.

Hic

Hic reperitur aliquid, quod pertinet ad migrationem Russorum a Danubio versus Borysthenem, et ad extructionem vrbis Kiouiae, quae certissime condita fuit, antequam sese vsque ad Nouogardiam extenderent, nam si paululum modo animum aduerterimus ad Iornandis descriptionem, quando is post Tyram alterum fluuium appellat Danastrum, facile fluuiorum cursus, qui nunc obseruatur, nobis demonstrabit, ibi poni debuisse Danaperum, cui Kiouia adiacet, adeoque facile error librarii qui vnum pro altero scripsit, - - - deprehenditur. Imo *Nestor* apud *Lomonossouium* a) Nouogardiam a Kuriko demum principe, adeoque circa 862. p. n. Chr. aedificatam esse affirmat.

Kiouia ergo sita est ad Danaprum, Dnieper Slauis, Borysthenem Graecis dictum, sed eius modi lacu caret. Nouogardia vero, quae procul inde abest, noua quidem est ciuitas; sed praeter eam in ipsa Russia sunt plures novae ciuitates istius nominis. Sic et noua ciuitas reperitur in Sueria, nec non in Polonia et plures adeo. Tandem magnam Nouogardiam debuerat scribere Nowohorodyszcze non Gorodischtsche, et vbi habes Staroe Gorodischtsche, Starohorodyszcze dicendum; non caret quidem flumine, quippe Wolchoua eam praeterfluat; sed inde nondum apparet situs plane similis Slauo Russorum, qui fuerunt ad Danubium.

Millerus paginam 15. non respexit, vbi *Iornandes* et ciuitates et populos ad Borysthenem alios ponit et de Slavinis silet. b) Verba auctoris haec sunt: „In eo vero loci la„tere, quo Ponticum littus attingit, oppidis haud obscuris in„voluitur, Borysthenide, Olbia, Callipode.„ Bene potuisset illustrare *Millerus* historiam Russicam, si modo adtendisset, hac

a) pag. 99. edit. Gall. b) pag. 15.

hac pagina *Iornandem* de diuersis populis ad Borysthenem habitantibus locutum esse, nulla tamen eo in loco facta Slavorum mentione. Deinde *Nestor* „Nouogardiam simul cum Kiouia aedificatam esse„ contendit; Tertio idem auctor simulque *Theodosius* Abbas epocham migrationis ponunt in quinto seculo medio, *Iornandes* autem historiam scripsit antiquiorum temporum.

Quarto cum is tres ciuitates ad Borysthenem memoret, tamen Kiouiae nulla mentio iniicitur.

Ex his omnibus sequitur, neque Nouogradiam neque Kiouiam aedificatam fuisse eo tempore, quo Sclaui a Danubio in Russiam regressi sunt, adeoque falsam esse opinionem de Noua ciuitate et lacu; quia *Nestor* dicit quidem, Nouogardiam et Kiouiam simul esse aedificatas, sed adiicit, factum id esse reuersis a Danubio Russis. Nihilominus tamen *Millerus* audacter asserit: „nec dubium „manet, per ciuitatem nouam intelligi Nouogar„diam„ deceptus similitudine alterius ad Danubium. En plures dubitationes, pluresque obiectiones, quam ille fortasse ex pectauit. Cum vero de vna hac ciuitate constet, eam nondum tum aedificatam esse, de altera, vna cum ea condita, idem affirmare licet; ac profecto Chronographi Russici *Longinus Stryikowski* aiunt, Principem Kyi, seu Kium, qui nomen vrbi dedit, esse multo recentiorem, populum vero, seu tribum Russorum fuisse Dereualany, hoc est in syluis nemoribusque manentem.

Iam cum ad lacum venit *Millerus*, de eo, quasi nullum momentum faceret, loquitur: „adducitur, inquit, tanquam „signum„ vero is, Ilmen sit necesse est, qui secundum Chronicon Nouogardiense Moisk dici debebat. Primo quidem nomen Ilmen est ipsum valde antiquum et si vel suppo-

ſupponamus, appellari iſtum lacum a Chronographo Moiſk, lectori vix perſuaderi poterit, vt inde Muſianum efficiat: quod ad nomen Rumenſe adtinet, ait, ſe non id intelligere, quaſi vero reliqua omnia recte intellexiſſet, ea nempe, quorum explicationem in prima parte dedi.

Vt ne omnino quid obſcuritatis hac in materia relinquatur, liceat nobis per lectorem adducere ad illuſtrandam et refutandam Mülleri opinionem diſtantias locorum, de quibus quaeritur Danubius a Kiouia milliaribus geographicis (quorum 15. efficiunt gradum) diſtat 75. Nam a Danubio vſque ad Danaſtrum ſunt 15. et a Danaſtro vſque ad Kiouiam 60. A Kiouia exinde ad magnam Nouogardiam iter eſt milliarium 120. Adeoque Danubius ab ipſa Nouogardia abeſt milliaribus 195. vel priori alio itinere milliaribus 185. Tandem vt ſatis faciamus harum rerum intelligentibus dabimus excerpta ex variis auctoribus quibus non ſolum confirmabimus migrationem Slauo-Ruſſorum a Danubio, ſed et cauſſam hujus migrationis addemus et nonnulla alia ſatis notatu digna de Slauis adjungemus. Nunc:

Ex *Theodoſio Abbate Kiouienſi*, qui initio ſeculi XII. ſcripſit haec accipe: „Slaui, ſiue Slauani ſedes ſuas ad Da„nubium habebant, vbi nunc Bulgaria et Hungaria (puta „Hunni olim) eſt. Hi paulatim verſus occidentem ſe exten„derunt, et ſecundum diuerſas prouincias diuerſis nomini„bus inſigniebantur. Erant Moraui, alii Tſchechi, alii Cho„ruii, alii Tebelli, alii Serwi, alii denique Chorutani. Cum „tandem gens, dicta Wologani (id eſt Bulgari) Slauos in „eorum ſedibus inuaderet, cedendum ipſis a Danubio in „partes ſeptentrionales fuit. Pars eorum ad Viſtulam „conſedit, et fuerunt Lechi dicti; a quibus poſtea Poloni „Lutici, Maſouienſes et Pomerani deſcenderunt. Alia pars

„ad Borysthenem abiit, et itidem Poloni vocati sunt, qui „eorum in syluis Borysthenis consederunt, hinc nomen „Drewliani adepti sunt. Alii adhuc intra flumina Pripaet „(Pripec) et Dwina vocati fuerunt Dregwizii, et qui ad „Dwinam habitabant; vbi fluuius Poluta (Polota hodie „dicitur,) incidit, Polowci nominati sunt. „

Primi Slauonicae gentis progenitores erant Kasari.

Incolae siue Coloni Radoni ad flumen Soschan et Coloni Wiathi ad flumen Occam descendunt a duobus fratribus Radom, *Longino* Radzyn, et Watko, *Longino* Wiatko, qui erant Lechicae originis.

Ex Longino.

a) Cum cognatis et familiis suis ad **Danubium** consedit et primo Pannoniam primam et veterem Slauorum sedem, parentem et alumnam, quae nunc Hungariae, Longobardis Slauos inde pellentibus, deinde Hunnis de ea contendentibus, sortita est nomen.

b) Erant autem populis Ruthenorum a Polonis profecti.

Verum quidem est, Slauos sub initium seculi sexti ex septentrionalibus plagis aduenisse, per Danubium migrasse atque in Dalmatia et Illyria sedes fixisse. Sed an inde sequitur, longe antea Slauos, aut Slauicae originis populos ibidem non vixisse? Sane non video, quidni fieri potuerit, vt Illyrii Slaui postquam, auctis Romanorum viribus, suppressi, Danubio traiecto, Septentrionem versus migrassent, potentia Romanorum fracta, ad pristina loca redirent? hujus facti satis clara nobis supersunt in domesticis comentariis indicia. *Nestor* c) asserit, Illyriam tempore

a) pag. 6.
b) pag. 49.
c) *Nestor*, p. 16.

pore Apoſtoli Pauli, ibi doctrinam Chriſtianam propagantis, a Slauis fuiſſe incultam, quos tandem vt Romanorum in illos ſaeuientium ſeruitutem effugerent, Danubio relicto ſeptentrionem verſus ad fluuios Bug, Viſtulam, Dnieprum Dunam et Volichouam profectos tradit. a)

Porro incrementum Slauicae potentiae ex Auſtrali Gothorum Vandalorum et Longobardorum emigratione recte concluditur, et quamuis hos Slauis annumerare nequeam, legitimis nihilominus rationibus adductus, contendo, maximam eorum partem ex Slauis conſtitiſſe; nec tantum innumeros Slauos exercitui ſuo adſcriptos, ſed et belli duces natione Slauos habuiſſe.

Illud teſtimonium ſatis quidem ſufficeret, ſed et aliud *Plinii* habemus, qui dicit: „perquam arduum eidem fuiſſe „pronunciare Illyriorum nomina: „ patet itaque, linguam Illyricam nec ex Graeca, nec ex Latina, quarum vtramque callebat, fuiſſe compoſitam.

Prima Slauorum veſtigia apud *Ptolemaeum* b) reperiuntur, qui eos Stauannos appellat. Scilicet Graeci et Latini, qui hanc vocem Stauannos non poterant efferre, illos Stauannos, poſtea Slauannos, tandem Sthlauanos appellarunt. Nomen Amazonum ſeu Alazonum (populi Slauici) in lingua Graeca magniloquum denotat. Apertum quoque eſt, hanc eſſe graecam verſionem hujus nominis, quia Slauani in idiomate Slauico idem ac gloriari, ſe jactitare ſignificat. Nomina Slauicorum Principum, quae tum ſimul cum natione Slauica innotuerunt, certe longe ante jam oriri debuerunt. In primis, quibus orta eſt haec natio, temporibus, nomine Principis ſui appellata, tandem mul-

 tis

a) ad init. fol. 2. pag. 2.

b) Geogr. l. 3. c. 5. et 8. Tab. Europ.

tis rebus praeclare gestis, illud sibi vindicauit nomen, quod sero quidem innotuit, in terrae suae finibus vero jam pridem vsitatum fuisse videtur.

Claudat agmen *Antonius Bonfinius* antiquorum scriptorum praecipuus lector et auctor eximius.

Eius verba haec sunt. a)

„Ne Sclauorum, inquit, ignoretur origo, Vandali, „qui a fluuio regionis sic dicti sunt, se deinde Sclauos ap„pellauere, (*a*) ab eius quidem gentis nomine, quae a „Bosphoro Cimmerio ad Tanaim vsque fluuium habitare „solebat, (*b*) et quum eorum pars, imperante Mauritio, in „Dalmatiam et Illyricum commigrasset, regioni Sclauo„niae nomen dedit. Qui in Scythia magnaque Germania „remanserant, partim Boemi, partim Poloni dicti sunt. (*c*) „Pars Vandalorum, quae Burgundionum deinde nomen „assumsit, vlteriores Rheni ripas temporibus Augusti oc„cupauit, quos Drusus et Tiberius in proprias sedes repu„lerunt, vt auctor est Cl. *Tacitus:* extra vrbes et oppida „disjecti, more patrio vicatim habitauere: et cum vicos, „quos propria lingua Burgos vocant, incolerent Burgun„diones, vt ait *Orosius,* dicti sunt Saxonibus finitimi. (*d*) „Plerique ab ortu Vistulae fluminis, qua in Aquilonem „vergit, per immensa spatia Vinidarum nationem diffu„sam olim fuisse, scribunt, quam in Slauonos Venetos et „Antes diuiserunt. Slauoni a Marsiano lacu et Ciuitate „Nemetiniensi ad Danastrum vsque amnem extendeban„tur in Boream, paludes ac syluas oppidorum loco habent. „Antes vero, qua Ponticum mare curuatur a Danastro ad „Danu-

a) Dec I. Lib. I. p. 23. ex Recens. Eruditi Belii, felii Eruditi patrui.

„Danubium vſque diffuſi, fortiſſimum quidem genus ho-
„minum, ab infeſtis animis appellati.„

Animaduerſiones.

(*a*) En duo certo certiora, quorum primum eſt, quod Viſtulam apud antiquos appellatam dicat Vandalum, quia a fonte per totum curſum vſque ad oſtium Vandali cum tribubus ſuis poſſederunt vtramque ripam eius, id quod in Vandalia mea demonſtraui, *Ptolemaei* et *Plinii* ſuffultus auctoritatibus. Si itaque inprimis ad fontem Viſtulae reſpiciamus, vbi *Tacitus* Sarmatas conſtituit, Germanorum vicinos, cum eos: „Mutuo metu et montibus „ſeparatos„ ait, quaerere licet, cur hoc flumen non fuerit appellatum Venedus vel Vendus, ſi Vandali non Sarmatae, ſed Germani fuerint. Sed hic contra Sarmatae a flumine Vandalorum nomen cepiſſe dicuntur. Alterum non minus certum hoc eſt, Vandalos Slauos poſtea ſeſe appellaſſe, quam quidem ſententiam nemo vnquam oppugnabit.

(*b*) De hoc ſitu non opus eſt, vt plura commenter, nam quicunque aliquos ſaltem de his rebus libros legit, non ignorat, nidum a Bosphoro Cimmerico palude Moeotide et aquis Tanaidis totum Fange, id eſt Fangiam, tractum fuiſſe Sarmato Vandalorum, vt conſulto *Iornande* et *Ptolemaeo*, patebit.

(*c*) Hoc *Bonfinius* ideo tantum adjecit, vt demonſtraret originem regnorum Slauoniae Dalmatiae ad Vngariam pertinentium, cuius regni hiſtoriam pertractat. Nec niſi de recentiori tempore loquitur, et partem illorum tantum dicit, et per aliam occaſionem de ceteris partibus loquitur Poloniae et Czechiae.

 (*d*) Sic

(*d*) Sic et hic, tribus partibus supra enumeratis, quartam adiicit partem, Vandalos et Burgundiones. Cum reliqua, quae habet *Bonfinius* certissime ex *Iornande* desumta sint, ea quae toties sunt repetita, reiterare, nolumus.

Ne vero vllam relinquamus cuiquam de lacu, de noua Ciuitate et Slauorum gente dubitationem, nostrum videtur esse, duo iam satis magni momenti pertractare, antequam haec pars ad finem perducatur. Primum de Musia, de qua hactenus quasi per transennam tantum egimus, loquendum, deinde vero locus *Iornandis* cum aliis contendendus, et quid inde concludi legitime possit, ostendendum nobis videtur.

Mysia, Misia, vel Moesia quidem prouincia erat ex optimis, atque late patebat, in superiorem et inferiorem diuisa. Sic autem istius limites *Ptolemaeus* a) describit: „Mysia superior terminatur ab occidente, Dalmatia a di„vertigio Sai fluuii vsque ad Scardum montem; a meri„die inde vsque ad Macedoniam ad montem Orbelum li„nea vsque ad finem, ab oriente parte Thraciae, quae est „a fine praedicto vsque ad Ciabrum fluuium juxta termi„num, praeterea ipso Ciabro fluuio juxta inferiorem My„siam, vsque quo Ciabrus Danubio admiscetur, a septen„trione vsque ad Saum amnem Danubii fluminis parte.„ Quod si vero hujus, inferioris nimirum, limitibus animum aduertimus, videmus primam abscindi per montes, alteram distingui per magna arua et vastas planities, de qua re jam ejusdem auctoris verba exhibere lubet. b) „Mysia enim inquit, inferior terminatur ab occasu praefata „parte Ciabri fluuii atque Danubii vsque ad Dinogetiam „ciuita-

a) Lib. III. Tab. 9. c. 9. fol. 30.
b) Lib. III. T. 9. Europae c. 10. fol. 30.

„ciuitatem, deinde Hieraſſo fluuio vſque ad conuerſio-
„nem Tyrae fluminis, quae conuerſio, vt dictum eſt, gra-
„dus habet 53. 48½. a meridie vero parte Thraciae, quae
„eſt a Ciabro ſupra Aemum montem vſque ad Meſembri-
„am ciuitatem Ponti, a Septentrionibus autem praedicta
„conuerſione Tyrae fluminis vſque ad ejus oſtia, ab ori-
„ente vero Ponto Euxino.„ Inde ſequitur, ſi Ptole-
maeus flexum Hieraſſi, qui hodie Prut, quem nobis ta-
bulae geographicae demonſtrant, dicitur, Myſiae fines
conſtituat, eosque ad Danaſtri oſtia vſque, ſeu Tyrae ex-
tendat, non ſolum Nouidunum aut Nujodunum, ſed et
lacus Ruſſowo vel Ruſſunenſis ad inferiorem Myſiam per-
tinuerit, neceſſe eſſe; hinc intelligi poſſet, cur lacum hunc
Iornandes nuncuparit Myſiacum, quia reuera in media
quaſi Myſia inferiore reperiebatur. Quae hic *Ptolemaeus*
narrat a Iornande confirmata, disquiſitionibus de lacu et
vrbe finem imponere debent; nam ad oſtiorum caput ille
Nouiodunum, vel Nujodunum conſtituit, tribus milliari-
bus vel tribus milliaribus et dimidio a lacu, ad gradum
nempe 54⅔ atque 46½.

Myſiae vero populus cujus fuerit originis, licet
plane definire nolimus, tamen quae antiquitas de eo no-
bis tradiderit, hic exhibebimus. *Appianus* a) eum com-
muni nomine Illyriorum comprehendit, ajens: „Reſidui
„Illyriorum habebuntur ante Paeones a Romanis Rhetii:
„poſtea Paeones Norici, Myſiique, qui ad Euxinum Pon-
„tum vſque incolunt.„ Si *Strabonem* conſulueris, vide-
bis, Sarmatas in Illyrico Auguſti tempore, id eſt in Myſia
etiam deprehendi. Hic enim auctor, qui ſeculo poſt na-
tum Chriſtum primo vixit, de ſua aetate haec tradit:
„Iazyges

a) De bellis Illyriorum p. 1199. Edit. Toltii Amſtelod. an. 1670.

„Iazyges Sarmatae et Iazyges, qui Regii et Vgri dicun-
„tur, plerique Nomades sunt. Ferunt etiam hos ad
„Istrum ad vtramque eius partem saepe habitare.„ Id-
que Florus a) nobis confirmare videtur, cum ait: „Sub
„Augusto primae Sarmatarum excursiones adnotan-
„tur, more gentis Istrum limitem imperii primario
„transierunt,„ nec non *Dion Cassius*, qui „Mysiam, in-
„quit, imo Macedoniam, puta Illyrium, funditus deprae-
„darunt.„ In *Appiano Alexandrino* b) superius citato
prima Mysiorum notitia inuenitur, quam vide, sis. Tem-
pore Mithridatis circa annum Romae 670-690. ante Chri-
stum 80-60. „Marcus Lucullus L. Luculli, qui Mithri-
„datem debellauit, frater Mysiorum regionem excurrit
„omnem, et vsque ad fluuium cursum tenuit, quo in loco
„quatuor Graecorum vrbes Mysiis finitimae sitae sunt,
„Istros videlicet, Dionysopolis, Odisus et Mesembria.„ Si
igitur tempora imperii Augusti peragrauerimus Mysiam ad
Romanos pertinuisse, videbimus. *Velleius Paterculus* c)
enim, si *Creuierii* Historiae hac in re fidem habere fas est,
narrat, Cecinnam Seuerum exercitui in Moesia (regione
Sauo Danubioque et Ponto Euxino circumscripta) prae-
fuisse, et in bello cum Pannonis, vt hos ab obsessione Sir-
mii deijceret, aduenisse. d) Idem Cecinna Seuerus cum
ad Moesiam reuerti coactus fuisset, vt suam prouinciam
ab incursionibus Dacarum et Sarmatarum vindicaret, se-
quente anno e) vt Dalmatas debellaret, est reuersus. Inde
concludere licet, Sarmatas pedetentim occupasse Mysias,
relictis successoribus Slauis, quibus constat, postea a Ro-
manis

a) Lib. IV. anno Christi 12.
b) Lib. LV. anno Christi 9.
c) Lib. II. cap. circiter 115.
d) Anno. R. 757. A. I. C. 6.
e) Anno R. 758. A. I. C. 7.

manis non solum Mysiam inferiorem, sed vtramque Danubii ripam fuisse relictam.

Quoniam vero *Iornandes* maximam omnibus viris doctis occasionem praebuit, inquirendi, et diuersis, de lacu et noua Ciuitate excogitatis opinionibus sese quasi satiandi, videamus jam, quae sentiat de origine Mysiorum. Quilibet quidem statim dubitauerit, an Gothi, vt affirmat, fuerint. Sed hoc ipsi est ignoscendum, cum multi sint auctores, qui Sarmatas cum Gothis confundere soleant, quia multa eorum foedera, incursiones communes et vicinia vtrorumque vbique memorentur. Audiamus verba ejus: a) „Quos Getas jam superiori loco Go-„thos esse probauimus, *Orosio Paulo* dicente. Hic *Dio* Re-„gem illis post tempora multa commemorat nomine Te-„lephum. . . . Hujus ergo Telephi regnum Moesiam ap-„pellauere majores. Quae prouincia ab Oriente Ostia „fluminis Danubii, a meridie Macedoniam, ab occasu Istri-„am a Septentrione Danubium habet.„ Cautius *Iornandi* fuerat dicendum, nam non omnes nationes oportet pro Getis aut Gothis habere, et Telephus ab aliis auctoribus non Gothorum, sed Scytharum Rex memoratur. Cum vero communi Scytharum nomine antiqui etiam alii viri fortes, regesque comprehendantur, iste etiam esse potuit Sarmatarum Rex, horum enim sedes semper fuit inter Meotida paludem, et Danubii ostia. Deinde ex eo, quod Moesia fuit regnum Telephi, non sequitur, Mysios ideo Gothos dici posse, nam saepissime Reges inuaserunt gentes originis plane diuersae: adeoque per tot auctores supra memoratos licebit contendere, Telephum quidem Regem Gothorum fuisse, ita tamen, vt Moesii Illyriis sint

resti-

a) Edit. Peutingerianae 1515. sine numero paginarum.

Kk

reftituendi. Vide quae *Sebeftianus Dolci* fentiat de Illyriis, Moefianisque.

Prius quam ad alterum illud progrediamur, anteomnia integrum *Iornandis* locum iterum adponamus, quo comparando maior lux oriatur. a) „Ab ortu Viftulae fluminis per „immenfa fpatia venit Vinidarum natio populofa, confe„dit. Quorum nomina licet nunc per varias familias et „loca mutentur, principaliter tamen Slauini et Antes no„minantur; Slauini a Ciuitate Noua et Slauino Rumunen„fi, et lacu, qui appellatur Mufianus, vfque ad Dana„ftrum et in Boream Viscla tenus commorantur. Sic pa„ludes fyluasque pro ciuitatibus habent. Antes vero qui „funt eorum fortiffimi, qui ad Ponticum mare curuantur, „a Danaftro extenduntur, ad Danubium quae flumina „multis manfionibus ab fe invicem abfunt.„ Iam vero poftea quam ex *Ptolemaeo* tam firma argumenta protulerimus, confidimus, aliis amplius opus non fore auctoritatibus. Quia vero *Gruterus* et *Abelius Kercfelichius* &c. ea licentia vfi funt, vt fuo modo *Iornandis* verba retractarent, nobis etiam locus totus *Iornandis*, quo certius judicari poffit, exhibendus videbatur, atque iam videamus, quam ob rem mancus fit fenfus, fiue culpa fit in obfcuro Iornandis fcribendi genere, feu in nominibus, faepius ab eo mutilatis, fiue, quia librarius, errores, quos alibi deprehendimus, et hic commiferit, feu quia infcitia Typothetarum, qui curas eludunt vel diligentiffimi correctoris, mendas peperit, an denique obfcuritas, virgulis tantum male transpofitis, fit orta. Parum mutatis itaque verbis iftum locum exprimemus eo quidem fenfu, qui ei vere ineffe videtur, nempe: Vinidarii, natio fatis magna a fonte

a) pag. 16.

fonte Vistulae habitant. Primariae eius gentes sunt Slauini et Antes. Nominantur Slauini a ciuitate noua Slauino Rumunensi, et a lacu qui dicitur Musianus, vsque ad Danastrum et Boream, a Borea vsque ad Vistulam *commorantur,* seu *extenduntur,* paludes et syluas pro ciuitatibus habent. Antes vero ad Pontum curuantur a Danastro extenduntur ad Danubium, quae scilicet flumina multis mansionibus ab se inuicem distant.

Rationem me facile posse reddere, confido, vocis „*venit*,, extrusae ex *Iornandis* textu; cum enim nimis propinqua sit alteri verbo, *consedit,* ea plane superflua esse videtur. Imo si adiicienda esse censeatur, ipse sensus plane corrumperetur; ita particulam „et,, infra incuria cuiusdam librarii insertam apparet, duae enim coniunctiones tam prope se subsequentes, plane inutiles sunt, vt ex: gr. a ciuitate noua et Slauino, et lacu, qui appellatur Musianus. Nulla certe vox a duabus aliis adeoque toto coelo diuersis duci poterit, si sanam rationem sequi velimus. Cum autem appareat, lecto hoc loco, Slauinorum nomen a Slauino venire, noua ciuitas vero cum vocis Slauinorum Etymo nullam plane similitudinem habeat, nihil aliud superest, nisi vt dicamus, Slauinum esse idem, quod noua ciuitas. Siquidem simile in eodem *Iornande* reperiatur exemplum, cum aiat, noua ciuitas Euthesium: adeoque et hic nouam ciuitatem Slauino esse idem, non est quod dubitemus. Sequuntur iam haec verba „ et a lacu, qui dicitur Mysianus,, quae ad verbum *nominantur*, ne stolidissimus quidem retulerit, nam tum non Slauini, sed Musiani dicendi essent, vel ex Slauini iam orirentur Mysii, alia plane natio. Lacus vero ideo Mysianus est appellatus, quia olim in Mysia inferiore situs fuit, quemadmodum

 satis

ſatis perſpicue *Ptolemaei* auctoritate oſtendimus. Ergo lacus ille nil, niſi ſitum nouae ciuitatis Slauini deſignat. Tertia cauſſa obſcuritatis quia ineſſe nobis videtur in virgulis, non accomodate ad ſenſum poſitis, iam iis transponendis ſenſui conſulere licet.

Antequam vero hunc *Iornandis* locum finiam, admoneo, quod caput eſt rei, errores, in eo textu commiſſos, non ab ipſo *Iornande* profectos, neceſſario corrigi debere: Verum dum locum huius auctoris examinarem, in hanc incidi quaeſtionem, vbi quaerenda ſit Noua ciuitas Slauinum? Id vero verba ipſa viri docti optime indicare, video. „Slauini a Noua ciuitate Slauino et vſque ad Danaſtrum.„ Ex quibus patet, ante Danaſtrum vulgo Dnieſter adeoque et Danubium Slauinum ſitum eſſe: hinc *Iornandes* ſtatim poſt Slauini mentionem factam hoc flumen nominat. Reprehendimus ſupra alios auctores, quod iſtius lacus obliti erant; iam vero oſtendamus, eum omnino ante Danaſtrum inueniri; ſi ſumamus, eum eſſe lacum, qui nunc Ruſſowo, a *Iornande* Ruſſunenſis appellatur. Nullus enim alius lacus ia iſtis prouinciis exſtat. Atque tabulae geographicae nomen nobis ipſius oſtendunt, ſitum, et diſtantiam tum a Danaſtro, quae eſt circiter 14. milliarum, tum a Danubio, quae eſt 4. milliarium, tum a Ponto, quae eſt 12. milliarium: quae omnia cum narratione Iornandis optime conveniunt. Quid? quod cuncti antiqui Ruſſici ſcriptores veniſſe dicunt Slauinos Ruſſos a Danubio; quod iam ſupra vidimus. Neque etiam nominis Ruſſorum a Ruſſowo deductio clarior fieri poteſt, quam quod ipſe *Iornandes* ait de Slauinis „nominantur a Slauino.„ Quod vero diximus lacum a Mari nigro 12. milliaribus diſtare, hoc quoque *Iornandis* loco plane conuenire apparet; nam de An-

tis

tis altera tribu verba faciens. „Antes, ait, qui ad Ponticum „mare curuantur a Danaſtro, puta Tyram, extenduntur ad „Danubium.„ Nonne hoc nobis oſtendit, Slauinos a laeua manu ſeſe extendiſſe, vt ipſius Iornandis verbis vtar, ad ortum Viſtulae, qui eſt ad occaſum, et Antes ad dextram id eſt verſus ſeptentrionem. A Danaſtro vero loqui exorſus, ad eundem lacum reuertitur, aiens: extenduntur ad Danubium; nam quilibet lectorum reeordabitur, lacum iſtum tam, ſaepe comemoratum, quaſi attingere Danubium. Facile autem erit demonſtrare, in edendis Iornandis libris errores irrepſiſſe, de quibus ipſe non cogitarat, et de quibus Lectorem monere paraui: apparet enim, Danaſtrum altera vice nominari, cum de Antis ſermo ſit, qui iam pro Boryſthene accipiendus eſt. Error vero inde natus, eſt: quod prior fluuius Danaſter eſt Dnieſter vel Tyras, alter vero dici debebat non Danaſter, ſed Danaper, qui eſt Dnieper, vel Boryſthenes. Iam vero ſimilitudo vocum facile docet, in quo lapſus ſit librarius. Conſtat autem, Danaſtrum vel Dnieſtr, quatuordecim tantum milliaribus a Danubio diſtare. Inter Danaprum autem vel Dniepr atque Danubium vel quater iſtud ſpatium intereſſe ſcimus. Id, quod etiam ipſe Iornandes nobis oſtendit, cum conſulto vt hunc a priore Danaſtro diſtinguat, haec verba addat: „Quae flumina multis manſio„nibus ab ſe inuicem abſunt.„ Supereſt, vt iam obſeruem, eundem lacum *Ruſſowo* a *Iornande* Muſianum: (ſi non Romanis *Marcianum* a Martiano Imperatore, qui ante inſignis belli dux fuerat Theodoſii Imperatoris) dictum, inſulam habere in medio ſatis ſpatioſam, vbi rudera antiqua cernuntur, et vicum, dictum etiam nunc Slauis Ruſſowo, quem ego eſſe antiquum Slauinum haud dubitare

possum, partim quia omnes notae ei conueniunt, partim quia alii mentionem Insulae Slauinorum faciunt.

Tandem huius lacus situs optime respondet, quem *Ptolemaeus* a) sub gradibus 55. 40. 47. 15. constituit. Appellat eum Thiagola, seu Diagola; gola autem significat in aperto positum, vt tradit *Cnapius* in Thesauro. b) Quidquid sit, *Cluuerius* c) iam eum ex Chartis antiquis appellat Rossoue, eumque constituit a Nouioduno tantum 12. milliaribus dissitum. Sequitur inde, *Iornandi* probe notum fuisse eum locum, quippe qui dicat: „Slauini a ciui-„tate Noua . . . . et lacu Mysiano.„ Nam partim vicinia locorum, partim aliae res demonstrant nobis, nullo alio in loco quaerendum esse Mysianum lacum Nouamque ciuitatem, quae tam propinquae hic inueniuntur. Clarius haec omnia ex tabula, a me huius rei illustrandae caussa confecta, patebunt. Progredimur iam ad alia.

SECTIO III.

DE PONTO EVXINO ET DE FLVVIIS TYRA, DNIESTER, HIPANI, BOCH AXIACES, TELIGOLEC S. TVLIGOLEC, QVOS ILLE RECIPIT.

Dum de lacu *Russowo* disputarem, satis superque me probasse, confido, eum esse antiquorum *Musianum*, aut *Mysianum*, vel vt aliis appellatur, *Martianum* aut *Marcianum*: Mysios nempe Dacis finitimos historia nos docet fuisse. Nihil quidem ab antiqua auctorum opinione discessimus, sed noua tantum et firmiora ex lingua Slauonica adduximus argumenta, vnum semper locum paullum diuersa

a) pag. 46. b) pag. 200. c) Char. 26.

diuerſa pronuntiatione dictum fuiſſe. Tunc igitur iam de *Iſtro Tyraque*, fluminibus, quaedam ea de cauſa diximus, vt verum inueniremus, iſtius lacus ſitum. Vna autem auctorum obſcuritas remanet, nempe quinque maxima flumina, *Tyras*, *Hipanis*, *Ariaces*, *Rhodius*, et *Panticapes* inde a Tyra ad Boryſthenem vſque, quae Euxinum influunt, et a pluribus, vt liquebit, confunduntur. Vni enim eidemque flumini temere duo tribuuntur nomina; nec ad id illi auctores advertunt animum, quod plura fluviorum nomina inueniantur, quam fluuii poſſint reperiri. Quae inconſtantia et perturbatio orta videtur ex ignorantia aut impatientia eorum, qui Strabonis Plinii et Ptolemaei narrationes non ſatis diligenter legerint.

Vltimum, mihi in manus de hac materia incidit opus illud *Peiſonellii*, plenum quidem rerum vtilium, ſi modo non tam ſaepe auſus fuiſſet noua moliri, et, vt ait, *ſyſtematizare* fluuiorum curſum. Melius certe conſilium ſequitur auctor, qui nouum lumen accendit antiquae hiſtoriae, quam qui res ipſas innouare conatur; is enim vel hiſtoriam maximis obumbrat tenebris, vel meras ſpargit fabulas, vel dubitationes auget.

Syſtema illud, quod de ſitu fluuiorum, gentiumque eis accolentium in minoris hodiernae *Tatariae* parte, modo laudatus auctor gloriatur ſe excogitaſſe, magnopere vanum ſuperfluumque eſt, nulla cogente neceſſitate inuentum, praetereaque aperte falſum; vt quod ſibi non conſtet, ipſi vero fluminum ſitui et veterum ſcriptis plane repugnet.

Quae enim neceſſitas cogebat integros amnes e locis ſuis dimouere, cum ſic ſtantibus, et per loca ipſis a remotiſſima vetuſtate aſſignata fluentibus, ſitus gentium, ab antiquiſſimis ſcriptoribus traditi, incorrupti ſeruentur?

ſeruentur? Maneat in alueo poſt *Iſtrum Hieraſſus*, qui aquas cum iſto commiſcet; poſtea *Tyras, Tyram* ſequens vlterius *Hypanis*, quem hodierna gloſſa *Boch* appellat (non Bog) alterum enim fluuium habemus huius nominis, qui Viſtulam influit; poſt demum *Teligulec* nobis, ſeu *Teligul*, qui eſt *Axiaces* veterum, et tandem *Boryſthenes* ſequatur, nec vlla ſupererit dubitatio, quin populi has olim regiones incolentes, eodem modo eodemque ordine ſiti inueniantur, quo eos a veteribus deſcriptos accepimus. Ecce ad laeuam *Iſtri* erit ſolitudo Getarum, vbi Iſtriani, Sarmatae, Baſtarnae, et circa *Tyram*, qui huic nomen acceptum referunt *Tyragetae* vel *Tyrigetae.* Tum *Tyram Hypanimque* inter et *Teligol*, quem *Axiacem* eſſe contendimus, locum habebit. *Axiac* populum. Inter *Axiacem* hoc eſt *Teligol* et *Boch*, ſeu *Hypanim, Callipides* (quos nil mirum, ſi quidam confuderunt ob viciniam cum *Axiacibus*) et *Crobyzi.* Ab *Hypani* demum ad Boryſthenem *Boryſthenitae.*

Suſpicatur *Peiſonellius*, in eo erraſſe Geographos, quod amnem, *Boch* hodie appellatum, pro *Hypani* acceperint: „Ie crois entrevoir, (ait ille) que ce, qui les a tous in„duits en erreur, eſt d'auoir pris le fleuue, que nous ap„pellons auiourd'hui le Boch pour le Hypanis.„ Quinam quaeſo iſti, qui tam temere allucinati ſunt? recentioreſne? at debuiſſet auctor oſtendere, hunc non *Hypanim* ſed *Axiacem* veteres appellaſſe, quod tamen neque ipſe praeſtitit, neque vnquam eſt euicturus. An veteres aeque ac hodierni? (hoc enim auctor videtur ſubindicare verbis: „ce *qui les* a touts *induits* en *erreur.*„ At qua aut temeritate, aut ratione, quod ab vniuerſis, vno ore nobis eſt traditum nomen fluminis, immutare audeamus ita, vt iure

iure *Bochum* pro *Hypani*, qualis ad hoc vſque tempus apud omnes audiuit, *Axiacem* appellare poſſimus.

Inquiramus in cauſſas, quas habuiſſe potuit *Peiſonelius* tale quid ſuſpicandi.

I^ma^ eſt, quod ab oſtiis Boryſthenis, 200. ſtadiorum ſpatio, urbs Olbia ponitur iuxta *Strabonem*, aut 240 iuxta *Anonymum* in *Periplo*, quae tamen *Olbia*, hodienum *Oczakow Broniouio* noſtro (licet erronee) in confluentibus Boryſthenis ſita putatur. Sed hoc infra videbimus. At quia a loco, vbi Boch hodie dictus in Boryſthenem influit ad huius oſtia diſtantia exigua eſſe obſeruatur: paucis hic adnotandum eſt, ad dextram ſitum fuiſſe Lycoſtomum, hodie Moncaſtrum. Slauis Bialogrod.

Iam reſpondendum videtur, in diſtantiis menſurandis, quae inter loca intercedebant, eis praeſertim temporibus minus nota, facilius certe errorem committi potuiſſe, quam in permutandis nominibus, quibus paſſim omnes gentes fluuios, quibus accolebant, appellare ſolebant: illa enim in notitiam veniunt paucorum, idque non ſine labore et variis difficultatibus, nec abſque errandi periculo: haec omnium perſonant aures, nec niſi negligentibus ignota ſunt.

Varietas opinionum de locorum diſtantia vel ex vno *Plinii* a) conſpectu pateſcit, aliter *Varrone* ſentiente, aliter *Cornelio Nepote*, *Artemidoro Matiano*, aliter aliis. Sed vt miſſos caeteros de reliquis diſtantiis faciamus, a Boryſthenis oſtiis ad vrbem *Olbiam* diſtantia, quam *Strabo* ad 200. ſtadia, *Anonymus* vero ad 240. aeſtimabant iuxta *Plinium* ad dimidiam partem reducitur, apud quem legitur: „Oppidum a mari recedens 15. millibus paſſuum „*Olbio*-

a) Lib. IV. cap. 12.

„*Olbiolis* et *Miletopolis* antiquis nominibus.„ Iam vero 15. millia passuum 120. circiter stadia conficere, omnibus manifestum est. Frustra ergo noster auctor premi et laborare videtur dum ait: „Si le *Boch* etoit l'*Hypanis*, comment „pourroit on retrouuer les 240, stades, qu'il doit auoir de „l'embouchure du *Borysthene* a la ville d'Olbia.„ An non satis erit, si iuxta *Plinium* dimidia distantia inueniatur? Et profecto si, vt ipse *Peisonelius* existimat: in verbis „ou „le *Bog* se iette auiourd'hui dans le *Borysthene* a vne petite „distance de son embouchure„ si inquam distantia ista (posito etiam *Ingulec* pro Hypani, vt ipsi placet) vix semisse augetur, quanam ratione potuerit ad tractum peruenire 240. stadiorum, quem Anonymum secutus supponit idem *Peisonelius*. Porro cur praefert Inguletium Teliguletio in medio posito, quem *Tacitus* etiam tacet qui mox Bochum sequi debet.

II. Altera ratio, quae *Peisonelium* permouit ad asserendum, Boch fluuium non esse Hypanim, sed potius Axiacem haec est, quod Hypanis iuxta Pomponium Melam includit Callipides, quorum situs (ait Peisonelius) statuendus est in illo intervallo: „ que ce fleuue fait avec le Boch.„

Sed iuxta communem, omnibusque receptam sententiam Hypanis, pro *Boch* ipso suppositus, non minus includet *Callipides*, horumque pariter populorum situs in eodem erit interuallo: „que ce fleuue (id est Boch vetustus „verusque Hypanis) fait auec le Teligol vel Teligolec.„ qui supponitur a nobis pro vetere veroque Axiace. Tunc vero et *Hypanis* limitabit Callipides et Axiaces defluet inter Callipides ipsos et Axiaces, gentes qui per Tyram ab Istrianis separantur, vt notat idem *Pomponius Mela.* Tunc post Tyram inuenientur Axiaces populi et post hos Crobyzi, Amnis

Rhodus

Rhodus, Sinus *Sagaricus* vel *Zagaricus*, *Portuosa Odessus*: vt asserit *Plinius*, *Ptolemaeus* et *Ortelius* in mappa &c. Imo tunc, quia Callipides hinc vicini sunt *Boristheniti*, illinc *Axiaci*, nil mirum, si cum illis a *Ptolemaeo* jungantur, cum his a *Meletio* confundantur. Verbo, omnia tunc rite recteque se habebunt, vt a veteribus geographis posita sunt, imo vt et ipsi *Peisonelio* placent. Re ipsa enim is nihil aliud effecit ista arbitraria nominum fluuiorumque permutatione, nisi vt *Axiacorum* fines ad duplum dilataret, et a Tyra Bochum vsque extenderet; Callipidum vero et Borysthenidarum misere coarctaret, vti ex chartis geographicis primo cuicunque patebit.

III. Redarguit porro eos, qui antiquam opinionem sequuntur: „his verbis ou donc sera l' Axiace?„

Noli timere! vbi nempe *Teligol* dictus nunc jacet qui aequo vtrinque spatio a *Tyra* ex occidente, ab *Hypani* ex orienti propiore plaga distat, quippe Tu quoque ipse fateris: „Touts les autheurs conuiennent, que ce fleuue doit „être entre le Tyras et l'Hypanis.„ Dicere tantum debebas, omnes auctores inter *Tyram* et *Axiacem* meminisse *Hypanis*, *Axiacisque* tanquam *Hypani* propioris, tum suo in loco reliquisses Hypanim flumen haud contemnendum. Imo quod probe notandum, si illic statuatur *Axiaces* amnis, vbi a nobis ponitur, tunc et aliorum situs locorum ad amussim respondebit, prout antiquarum geographorum communi consensu descriptus est; si vero contra *Bochus* antiquorum *Hypanis* in *Axiacem* transformetur, quod tibi videtur, tunc mutatio ista talem tantamque locorum metastasin inducet, ex qua nescio an tuum ingenium facile extricare sese poterit. *Plinius* a) enim locorum situm minutatim describens ita procedit. „Clarus

a) Lib. IV. c. 12.

„amnis Tyra . . . . . mox Axiaces cognomines flumini „(id est populus Axiaces) vltra quos Crobyzi: flumen „Rhodi, sinus Sagaricus; portus Odessus. Et a Tyra „120, millibus passuum flumen Borysthenes, Lacusque „et gens eodem nomine, et oppidum a mari recedens 15. „millibus passuum Olbiopolis et Miletopolis antiquis no„minibus. . . . Quidam Panticapen confluere infra Ol„biam cum Borysthene tradunt.„ *Plinius* ergo flumen *Rhodos*, sinum *Sagaricum*, portum *Odessum* inter *Hypanim* et *Axiacem* immo adeo ad Ostia *Borysthenis* ex ordine posuit, adeoqui si *Boch* pro *Hypani*, *Teligol* vero pro *Axiace* sumatur, vt nos contendimus, vsque quaque omnia bene sibi constabunt. Si autem *Boch Axiaces* esse dicatur cum *Peisonelio*, *Ingulec* vero *Hypanis*, omnia illa antea memorata loca frustra quis quaesiuerit, et nunquam inuenerit, profecto, nisi antea et ipsa ostia *Borysthenis* supra fontes suos fluere coegerit, tumque locum habebit, illud Graecorum, ἄνω ποταμῶν χωροῦσι πηγαί.

Pensonelius agnoscit sinum *Berezen* nunc dictum, sinum esse antiquorum *Sagaricum*, et amnem *Berezen* esse *Sagarim*, et Sasik *Berezen* esse *Rhodum* vel *Rhodem* &c. Sed qui fiet vt isthaec omnia loca, quae ante ostia Borysthenis ad plagam occidentalem occurrunt, mox vltra *Boch* versus orientem (vti necesse est, si Bochum pro Axiace concipiamus) eadem exstent? Si huic absurdo *Peisonelius* poterit vtcunque patrocinari, vir mihi erit plane mirabilis. Sed clarius loquar hic cum *Peisonelio*, vt cogitet quid sibi velit de Inguletio. Etenim cum nominaret eum *Hypanim*, plane oblitus est, adhuc aliorum notorum fluminum. Sic non solum *Teligolec* pro *Axiace* omittit, sed et paruum *Ingol*. Hanc rem auctoritate scriptorum firmare oportet, non vero ex suo depromere ingenio. Iam ergo

flumina

flumina sequimur disposita ordine naturae, qui talis est: Post *Tyram* mox *Axiaces*, qui est *Teligol*, et ad ostium instar lacus, portaeque *Isiacorum*, inter quas et fluuium *Berezen* cernuntur ruinae vrbis destructae. Nonne in his tribus *Rhodem*, de quo statim, sinum *Zagaricum*, portum *Odessum* aperte agnoscis? Sequere pedetentim. *Ingolec* vero magnus, qui in *Bochum* regione *Cxapczaklyi* ad vicum *Kressa* effunditur, necessario *Rhodes* fluuius est, cum Plinius illum post *Axiacem* ponat, et quamuis *Czapczaklyi* est propinquior *Axiaci*, tamen *Ingolec* est multo fortior *Czapczaklyo*. De minore *Iugol*, qui ideo minor vocatur, quia duo sunt ejus nominis, postea loquar. Iam vero de cursu fluuiorum *Plinii* venio ad Olbiam, quae debuit esse juxta eundem auctorem, vbi *Thaninka*, non *Oczakouia*, inter *Iugoletium* paruum et *Borysthenem*, ideo quia Olbia a mari 15. millibus passuum erat, seu si Leucam 1500. passibus vt in Gallia solent numeremus, erunt 10. Leucae, vel 5. milliaria duplicando pro milliaribus Germanicis ordinariis, qua distantia Oczakovia abest a mari, *Olbia* antiqua esse nequit, nisi vbi hodie *Theninka*. Altera ratio non leuis, haec est, quod auctore *Plinio* „quidam Panticapen confluere intra „Olbiam cum Borysthene tradunt.„ Sic ergo, vt supra dixi, habes *Ingoletium*, in quo *Diuiduno* jacebat *Olbia* et *Inguletius*, hoc est *Panticapes* perditur reuera ad dextram *Theninkae*, quod est Plinio infra *Olbiam*. Cum vero legamus alteram Olbiam cognomento Sauiam dictam a dextera Bochi sitam eamque notatam non procul ab *Oczakouia* milliaribus circiter octo: distinguendis binis Olbiis multo facilius distinguemus et fluuios quaesitos; nam creare, nec explicare systemata parum prodest.

IV^to. Instat ille rationemque addit (vt sibi videtur) vere grauem, cur ita Geographiae hanc particulam gestierit (vt quidem ipse dixit) reformare, me vero Iudice potius deformare. Ratio est, quod amnis Axiaces: „doit „etre vn grand fleuue, puisque Ptolemée nous dit, qu'il „parcourt la Sarmatie vn peu au dessus de la Dacie ..... „or je me suis conuaincu, (ait ipse) par mes propres yeux, „que depuis le Boch, que l'on prend mal à propos pour „l'Hypanis jusqu' au Dniestr ou le Tyras, il n'y a que „des petits ruisseaux, qui ne meritent pas même le nom „des rivieres. „

Haec, quidem non male, sed cur vis quaeso riuulos pro fluminibus numerare, cum in conspectu sint tibi fluuii. Non ignoro riuulos de quibus ille loquitur, quinque sunt vel sex; sed simul persuasum mihi est, eos apud antiquos pro fluuiis habitos fuisse. Satis fluuiorum non habes Peisoneli ad locum Axiaci concedendum, nec tamen mentionem facis fluuii Kurcza, qui Parcarrae oppositus in Tyram influit; nec fluminis Kujalnik satis magni, quodque prope Koczuby in mare effunditur. Czapezakli demum fluuius qui paulo altius Bochum influit, oppositus quasi Ingulecio magno, paullo vergens ad sinistram. Nec hoc negari potest, te mutatione, quam meditaris, simul tuas dubitationes prodere.

Addam et hoc, quod nunquam veteres Axiacem magnis atque celebribus fluuiis comperi annumerasse. Celebrant illi subinde post Istrum Tyram, Hypanim, Borysthenem &c. vt insigniores, sed hos inter Axiacis nulla fit mentio. Audiamus *Strabonem:* a) qui „inter Istrum atque „Tanaim, ait Tyram Borysthenem et Hypanim magna „flumina in Pontum defluere. „ Vbi nunc contendis Axinum

a) Lib. II. p. 167.

Axinum magnum esse, ibi reuera inter Istrum et extremum, vt ait *Horatius,* Tanaim Tyras Hypanis et Borysthenes magna flumina influunt. Dignus autem est hic locus, cui maiorem lucem affundamus, nunquam tamen mutabimus antiquos fluminum alueos, quia sic totum Geographiae non fluminum solum rationem mutare vere dici possemus. *Plinius,* qui vt statim ostendemus, vltra Borysthenem parum nouerat reliquos fluuios, de altero quodam Tyra loquitur, cum Tanais fecit mentionem, eum igitur, manifestum est, de Doniec loqui, qui in Slauica lingua significat paruum Don seu Tanaim, is qui in magnum illum Tanaim, seu Don influit, et cui hanc ipsam ob caussam auctor ille indit alterius Tyrae nomen. Ibi enim nullum flumen praeter Doniec reperitur. Sed ad ea attendamus, quae sequuntur. Addit enim idem auctor, suo adeo tempore origines istorum fluminum Geographos latuisse, cum neque Tyrae fontes visi sint, neque Borysthenis, neque Hypanis &c. vbi haec duo probe notanda sunt primo geographum, cum de magnis fluminibus regionis illius mentionem faciat, de Axiace tamen plane silere. Minime vero hunc fluuium silentio praeterire potuisset, si et hunc magnis annumerandum putasset. Secundo eum contendere Hypanis fontes ignotos fuisse suo tempore; vti et Borysthenis et Tyrae; ex quo sumere licet, Axiacis fontes tum temporis minime fuisse notos.

Idem *Strabo Appollodorum* a) adducit laudantem *Eratosthenem* qui dixerat: „Cum in Gontum circiter quadra„ginta influant amnes, ne nobilissimorum quidem vllius „mentionem eum (Homerum videlicet) facere. Istri puta „aut Tanaidis, Borysthenidis, Hypanis, Phasidis, Ther„modontis.„ Licet ergo obseruare, in hac quoque enumeratione

a) Lib. VII. p. 457.

meratione ex numero nobiliorum amnium in Pontum defluentium, Axiacem esse exclusum.

Plinius a) etiam vbi supra. „Clarus amnis Tyra....„ dixit, commemorat Axiacem, sed eum non dicit clarum.... „Mox (ergo non longe) Axiaces cognomines fluuii; vltra „quos Crobyzi, flumen Rhode &c.„ Vnde ergo tanta magnitudo *Axiacis* fluuii, quantam ipsi *Peisonelius* visus est tribuere, ob quam negat hodiernum ipsum esse Teligoletium (qui non adeo clarus est).

Quod enim ex *Ptolemaeo* affert *Peisonelius*, qui dicit, „qu'il parcourt la Sarmatie vn peu au dessus de la Dacie,„ tantum abest, vt id magnitudinem Axiacis ostendat, vt potius, mediocrem quendam amnem Axiacem fuisse, indicare videatur. Neque enim in Ptolemaei loco Sarmatia Boreae propior intelligenda, sed ea, quae ad meridiem maxime vergebat, ea videlicet, „qui etoit vn peu au des-„sus de la Dacie,„ *Peisonelio* ipso fatente; quae nimirum finitima fuit Tyrigetis, atque Iazygibus, quam et *Strabo* b) nobis indicat ajens: „Solitudo Getarum; deinde Tyrige-„tae: post hos Iazyges Sarmatae &c.„

Atque haec quidem omnia in hodiernum Teligoletium si eum Axiacem esse, sumatur, optime quadrant, Hypani vero, qui Bochus hodie audit, plane non conueniunt. Hujus enim origo tum temporis ignota fuisse dicitur, vt superius a nobis notatum est.

Mihi vero praeter ea, quae dicta sunt, illud etiam in mentem venit, mirarique subit acumen *Peisonelii*, qui dum Hypanim (seu Bochum) Axiacem esse contendit, spreto scilicet propter paruitatem flumine Teligoletio; nullam postea experitur difficultatem cum ex Ingoletio amni, neque profecto adeo insigni, Hypanim ipsum magnum

a) Lib. IV. c. 12. b) Lib. III. p. 470.

magnum nobilissimumque fluuium ex ingenio formare audet. Certe enim vel ex solo tabularum geographicarum conspectu patet, multo superiores Teligoletium habere, quam Inguletium fontes: Bochumque, quem Hypanim nos esse diximus, mirifice vtrumque praestare: quae tamen praestantia nunquam a geographis Axiaci tributa legitur, quamque veteres, vt vidimus, Axiaci denegarunt, vt quem nunquam magnis clarissimisque fluuiis annumerauerint, quoties occasio iis data est. At *Peisonelius* opinionis suae rationi inseruiens, Hypanim insignem fluuium deprimit et diminuit, Axiacem contra mediocrem amnem nimis extollit atque celebrat; hoc est ex Gigante Pigmaeum, et vicissim ex Pigmaeo Gigantem pro lubitu formans, neque sibi constat neque veteribus. Nos vero scimus, Hypanim graece esse equorum vadum, quod Poloni contra Tartaros toties sunt experti, a Braclauia vsque ad Oczakouiam, Bochumque excipi gurgite ostii Borysthenis ad laeuam, in quo angulo in antiquis tabulis geographicis cernitur Olbia Sauia, (nescio an non ob differentiam Olbiae alterius,) sita vt narraui, in diuiduo Ingoletii parui seu *Plinii* Panticapis. Cum hoc modo plures fluuios pluresque vrbes inuenerim, quam *Peisonelius* ibi esse putauit: puto me jure posse vrbi Metropoli adijcere alterum nomen Borysthenis, quia sita erat ad Borysthenem. Superest mihi iam vrbs Callipolis, quae nescio an non adijcienda sit alteri Olbiae, cum vna Sauia diceretur, si sequamur *Plinii* descriptionem.

Relictis jam veris suis alueis fluminibus, non deficiente materia, cum hac re coniuncta, praesertim ea, quae ad Sarmatiam siue Poloniam, vt nunc dicitur, cui hunc libellum destinauimus, pertinet: jam de vetere illa Olbia dicamus. Annotasse nos, affirmamus in chartis redactis

per *Abeuillium* ad ſitum Poloniae imo Sarmatiae, poſt Olbiam Mileſiopolim; id quod nobis perſuadet Mileſienſes eſſe colonos tam ex hac parte maris, quam ex altera parte circa Caucaſum et vicinia Lazorum erant. Inde tertia etiam legitur vrbs nomine Metropolis (hoc eſt Boryſthenis) ad flumen Boryſthenem ſita, quae ſatis reſpondet vrbi dictae Circaſſiae. An idem hic populus fuerit, qui poſtea in Aegyptum profectus, tantam famam conſecutus eſt, id affirmare non audemus, eo quippe contenti, vt dicamus, mare nigrum ita dictum ob nigrum ſolum, multis nominibus fuiſſe inſignitum, quae a diuerſis ei populis et auctoribus indita ſunt, vt Pontus Euxinus olim mare Cimmerium et Caucaſeum, hodie nautis graecis Maurum, Turcis Maurothalaſſa, item mare majus dicitur.

Maeotis vero palus, vera illa et antiqua Sarmatarum ſedes vſque ad tempora Imp. Domitiani, quibus Romani occaſionem inueniebant, eos contra Boſphoranos et Cimmerios excitandi, Sarmatice appellatur Zgnile more, id eſt mare mortuum. Cuius tot jam adſunt antiquae hujus maris deſcriptones, vt nihil me impediat, quominus, jam ad rem a me propoſitam pertractandam progrediar.

Obſeruo autem, quatuor maximos fluuios, qui in mare illud effunduntur, Danubium, Tyram, Boryſthenem et Tanain Sarmato-Slauo idiomate appellari Donay, Dnieſtr, Dniepr et Don, quorum nomimum initia eandem ſignificationem produnt. Similitudo horum nominum indicat, Dono vel Dno in diuerſis dialectis eſſe fundum, vel alueum fluuii. Explicare nolo Danubii Sarmato Slauis dicti Donay nomen; id modo dicam, eum ex regione Vindeliciorum venire et hanc gentem, quae neque graece,

neque

neque latine, neque gallice, neque germanice loquebatur, et de cuius origine nondum conftat, multo fuiffe antiquiorem, quam plures gentes, quae poftea innotuerunt.

II. Ad Tyram tranfeo, qui Sarmato-Slauice appellatur Dnieftr, aut Dniefter, Dnie-fter vero eft fundus navigando aptus. Huius fluuii ripas vtrafque initio Sarmatae incolebant, poftea tantum eam, ripam, quae feptentrionem fpectat, vbi ad noftra vfque tempora remanferunt. Vrbes maxime notatu dignae *Ptolemaeo* auctore hae fere funt: „Verfus medium curfus ipfius eft Sklepidawa „Graeco-Latinis Ciepidiana, quae refpondet fortalitio Ka„miniec, quod nihil aliud eft, quam antra in rupe, vbi „habitatores confugiebant.„ Et ab altero Tyrae latere eft Arcobodaua vel Hurkabodaua, quod refpondet vrbi Chocim, poftea Wynancow, geographis Wygantanafium, quafi folitudo Sarmatarum. Haec folitudo fuper Tyram verfus meridiem fatis longe extendebatur, quae regio hodie adeo adpellatur Pokutia, id eft exilium. Hoc ergo Wygantanafium refpondet Mohilow. Heraclum habet Iampolim fibi e regione oppofitam vel, parum inferius Raszkow, tandem Opiufa oppofita eft Iachorlik; poftea Dnieftr verfus laeuam in mare influit. De Moncaftro antiquo Lycoftomo, quod dicitur Slauis Bialogrod, Turcis Akermann, (inter Bialogrod vero et oftium Tyrae fuit Neoptolemi turris) nec non de Hypani, vulgo Bocho, fumus locuti fuo loco. Quaeritur igitur tantum de vrbibus, quas *Ptolemaeus* notat. Fontibus maxime propinqua eft Leinum, cui refpondet Miedzyboz, fitum ad confluentes Bozek et Bochi, id eft parui Bochi et magni. Secunda eft Sarbacium vel Zarbacum, vrbi Bar e regione pofitum. Tertia eft Nicomum: Nicomu vero fignificat vrbem liberam et refpondet Braclauiae vlti-

mae vsque ad Oczakouiam ciuitati, ad cuius sinistram, Bochus in ostium Borysthenis incidit.

III. Dniepr vel Dnie-pre est flumen fundum habens resistentem non ex alia certe ratione, quam ob Catatupas, de quibus iam supra satis locuti sumus sic dictum.

IV. Don, qui exprimit profundum, a Graecis auctoribus Tanais dictus est. Quis vero nescit, hos in scribendo saepe vacillare, saepius nomina propria inuertere, nominatim litteram T. supponere pro D. et loco Danais Tanaim pronunciasse? Nec me fugit error *Q. Curtii* qui Tanaim in mare Caspium se effundere putauit. Nos propositi nostri tenaces, diximus insigniores fluuios Sarmatis a Dono vel Dno incipere; iam vero supersunt alii etiam, Doniec, qui in Don influit, Donaiec albus, Donaiec niger, qui ex montibus Carpaticis oriuntur. Nec non Padus, qui mari Adriatico excipitur, Venedo Slauis vocatur Bezdonko, quasi fundo destitutus, id est profundissimus fluuius.

Multa alia fortasse adferri possent ad opinionem *Pelsonelii* refutandam, qui putauit, sibi aeque facile esse Tartaricos fluuios transponere, ac Aloidae in fabula Thessalicos montes perhibentur transposuisse. Sed et ea, quae jam a nobis allata sunt, ad refutandam excogitatam istam rationem sufficere videntur.

DE

DE

CHVNIS CVNIS HVNNIS

ET

CVMANIS.

Pars Quarta.

DE
CHVNIS CVNIS HVNNIS
ET
CVMANIS SLAVIS.

PARS QVARTA.

§. I.

Cuius originis fuerint Chuni, ſiquidem conſultemus *Bonſinium,* a) aut potius *Turoczum,* ex cuius libris *Bonſinius* fere omnia hauſit, videbimus, eos ab eo dici Valachos. Id vero non ſatis definite dictum eſt, nam eos, qui Valachiam inhabitarunt, plane diuerſae originis eſſe, conſtat inter omnes. Duo igitur neceſſario ſunt quaerenda, vnde hic populus in Valachiam venerit, et quae nomina fuerint principibus et regibus ipſorum? Statim mihi occurrit aliquis, nomine Giula, rex Chunorum, qui bello aggreſſus eſt Salomonem et Geyſam, reges Hungariae. Deinde vero auctores Hungari nos docent Saroltam filiam Giulae Principis Tranſiluaniae nupſiſſe Geiſae,

a) pag. 212. 213. *edit. Lipſiens. cum recenſione Cl. Viri Conſiliarii Belii.*

Geisae, qui pater fuit S. Stephani. Non quidem dico, hunc fuisse Giulam eundem, sed saltem eum eiusdem nominis, et forte ex posteris eius fuisse. Hoc certum est, nomen esse Hungaricum, non vero ex lingua Valachica. Inde transeo ad Chunos, quos nominum similitudo Hunnos esse ostendit, id quod etiam historia confirmat, quae tradit, Irnachum Attilae filium natu minimum reliquisse Eumidzure et Viltizinture, a quibus Siculi Transiluaniae incolae originem trahunt. Bellum vero inter eos populos, licet ab eadem origine progressos, ortum esse nemo mirabitur, qui considerauerit, septem fere saecula inter irruptionem Attilae et inter Kutenum praeterlapsa; et cum illi aggressores non cognatos se praeberent, ne proxima quidem cognatio impedire hos potuit, quo minus suos focos defenderent.

Quod ad Cumanos adtinet in auctoribus Hungaricis scriptum lego, iisdem Chunis sese iunxisse Cumanos Hamaxobios, vel Hannaxobios, et Ruthenos, (hi etiam Rascii vocantur, latinis auctoribus Roxolani dicti.) Iam ex his liquet, Cumanos et Hunnos esse gentes diuersas, et Cumanos manifesto esse Slauicae originis. Cl. *Peisonelius* etsi idoneam hac de re rationem non reddat, tamen manifesta est. Nam hae tres tribus supra memoratae sunt Slaui, inter quos hic primarios Cumanos vidimus. Cuma vero, vel Cuman in lingua Slauica significat socium, vel confratrem. Hoc solum satis probaret, addamus tamen hoc, cum inuaderentur a Tartaris, irrumpente in eorum regionem Bathy, istam gentem plane Cumanis peregrinam fuisse.

Tenuerunt autem post Chazaros Tauricam et Scythiam Comani, veri Slaui, etsi eos Polowcios etiam vocent *Dlugossus* et alii Polonorum historici. Ii et Tauricani fuerunt

fuerunt, et Hamaxobii, quod ipſum nomen prodit. Nam Polowcy dicuntur, quaſi venatores locorum, ob vagam in plauſtris vitam, et ita Tartaros Aſtracanenſes etiamnum vocant Ruſſi, teſte *Olcario*. Polowciorum vero prima mentio ſit ad annum 1058. quo primum inuadere Ruſſiam coeperunt, vt *Dlugoſſus* refert; limites eorum a fluuio Ethel, ſeu Volga ad Choraſmios pertinuere, teſte *Haitone* a) vnde patet, eos totam Tartariam deſertam tenuiſſe.

Tunc vero cum Bathy adoriretur Cumanos, Cuten rex alterius tribus nempe Cumanorum receptus fuit a Bela, rege Hungariae, ad colendas eas ſolitudines, quae hodie vocantur Cumani campi. Tandem Cuten, ſeu Kuten verbum eſt Slauonicum, b) nam Kuten aut Kut eſt iactus militaris vel Herculeus, et baſilicus etiam, quod notatu dignum.

Illi ipſi vero Cumani cum Hungaris, qui ipſos oderant, conſeruerunt manus. Cumani Hungaros aggrediuntur, et icto cum Tartaris foedere ſuperiorem vaſtantes Hungariam in Bulgariam pergunt vid *Bonfinium*. c) Hoc, collato *Peiſonelio*, claram rem reddit, quia Bulgari aut Volgari erant veri Slaui. Nam quemadmodum Cumanos Hungari pati nolebant, quia non eadem erant origine, ſed peregrina: ita dubitari non poteſt, licet Cumani foedus fecerint cum Tartaris, iis tamen ſe non iunxiſſe Cumanos, ſed potius ſuis nempe Bulgaris. Alia etiam ſunt argumenta, ex quibus apparet; Bulgaros eſſe vere Slauos, ſed haec loco opportuno ſeruanda ſunt.

Mon-

a) cap. 1.
b) *Dictionarium Polono-Latinum* p. 341. lit. K.
c) pag. 302.

Monſtraui igitur, Chunos et Hunnos eſſe plane eosdem, nam quae *Ptolemaeus* dicit de Chunis ad Hunnos neceſſario pertinent. *Oſtrokocſius* a) autem diligens et laude dignus auctor pro certo confirmat, eſſe eosdem, et *Marcellinus*, mox ſcribens Chunos, mox Cunos, eliſa aſpiratione, pro vna gente habet.

Qui autem affirmant Chunos et Cumanos eſſe eosdem, iis, quominus credamus, obſtat, quod ambae nationes ſimul extitiſſe, et quaelibet ſuo nomine vſa videtur. Si enim vna eademque natio fuerit, cur Chuni Cumanorum ſocietatem appetiuerunt?

His, quae de Giula Chunorum Rege dixi tantis auctoritatibus confirmatis, nemo repugnare debet. Hoc vero addendum eſt, Chunos vere ſitos eſſe inter Hamaxobitas et Iazyges. Hi vero erant vicini Roxolanorum. Quomodo igitur inter Roxolanos eſſe potuerunt et Iazyges, ſi hi duo populi erant plane finitimi, erant autem altius verſus boream ſiti. Id eſt, ſitus Chunorum, vt loquamur geographiae recentiori accomodatius, erat vltra fontes Boryſthenis verſus Pruſſiam Ducalem, vnde ſecundum obſeruationem *P. Maxim. Hell,* viri eruditi, de lingua Hunnica, pars aliqua gentis Hunnorum vel Chunorum facile potuit migrare in Laponiam. Nec opus eſt obiicere, Chunos fuiſſe in Europa, et Chunnos ex Aſia veniſſe, quia omnes hi diuerſi populi antiqui venerunt ex Aſia diuerſis temporibus. Quomodo enim reſponderi poſſit ad id, quod Laponi linguam loquantur Aſiaticam?

a) pag. 1. cap. 4. §. 24. et ſeqq.

cam? Non enim puto, Chunos *Ptolomaeo* fuiſſe incognitos, ſed rationem hanc non accipio, quod Chuni fuerint in Europa, Hunni vero longo poſt tempore venerint ex Aſia. Quaſi non venerint multae aliae nationes ex Aſia, cum ipſi libri ſacri nos doceant, omnes nationes ex Aſia veniſſe.

Caeterum hoc eſſet fide virorum eruditorum abuti, ſi auctoritate *Bonfinii* a) affirmare velimus, Chunos eſſe Gothos. Hic enim ſcriptor nihil ſimile habet, niſi quod dicat: „eam Getarum plagam incolebant, quam „nunc Valachiam dicunt.„ An ex hoc ſequitur, eos eſſe Gothos vel Getas?

Supereſt, vt dicam, Cumanos non eſſe Chunos, ſed Slauanos, id eſt Slauos, poſtquam dixi de rege ipſorum Cuten, de expeditionibus eorum cum Roxolanis, etiam Slauis, et tandem de eorum cum Bulgaris, eiusdem gentis populo, coniunctione. Alium etiam regem Cumanorum circa annum 1283. nomine Oldamir vel Holdamir commemoratum inuenio. Quicunque vero aliquem ſaltem linguae noſtrae vſum habet, ſtatim intelliget, vt mihi quidem videtur, hoc nomen eſſe Slauicum, eaque terminatio *mir*, quae pacem ſignificat, tam ſaepe inter principes Dalmatiae, Croatiae, Poloniae et Bohemiae repetita occurrit, vt vix opus ſit, reuocare hoc in memoriam. Holdamir igitur eſt cultor pacis.

a) pag. 212.

Venc. Duchowſki, haec tradit. pag. 76. Cumani. . . Cumaniam incoluerunt . . . . ſucceſſeruntque eis Circaſſi populus Tartaricus. *Harduini* ſententiam firmat Salomon *Schweigert* in Itinerario Terrae Sanctae, neque ab hac veritate recedit probatiſſimus Michael Baudrand, ibi expreſſe locatam eſſe tradens Cumaniam, vbi olim Zichia ſita fuit. Nunc a Circaſſis gente Tartarica inhabitatam.

pag. 76. not. Ioan. Harduinus ſuper Plin. hiſt. nat. l. 6. fol. m. 860. exiſtimat, prouinciam hanc dici: *La Camainie.*

pag. ead. not. Salomon Schweigert, in Itinerario Terrae Sanctae an. 1576. Georgiani habitant inter Moeotidem, et Hircanum mare: ita vt ad mare Albani, ad Moeotidem Colchi, ac inter vtroſque Georgiani incolant . . . hi tres populi vno nomine dicuntur *Commani* . . . . propria autem lingua noſtro tempore Colchi vocantur *Mengrelii* et *Albani Circaſſi.*

pag. 77. not. In nouo Lexico L. C. Comania, la Comanie, Aſiae regio inter Georgiam, et Tanaim fluuium, vbi etiam Circaſſi populi ſui pene iuris; quidam tamen ſub clientela Turcarum, et alii ſub dominio Moſcorum.

Quid vero plura teſtimonia, quorum etiam defectus non eſt, quaerere eſt opus, cum nomina Regum Cumanorum a nobis et nunc poſſint intelligi, et in ſignificationibus linguae matricis Slauonicae eorum veſtigia appareant. Igitur ſuſpicari, eos eſſe Gothos, non licet.

Lingua

Lingua enim horum erat germanica; quod quidem, vt iam feci, ex nominibus regum eorum probari poteſt, vt Theodorici et aliorum.

Et *Oſtrokocſius* a) ſapienter praefert auctoritatem veterum cum ſine dubio Chunos et Hunnos pro vno populo habeat, de Cumanis vero obiter agat.

Sed regrediamur ad antiquiſſima tempora, vt videamus, vnde venerint Cumani in Pannoniam, et ex *Plinio* b) intelligemus, prope portas Caſpias rupi inaedificatum eſſe caſtellum Cumaniam; id, quod nullo modo probat, Cumanos fuiſſe Chunos; nam tunc caſtellum Chunia vocari deberet, non vero Kumania; quod monſtratum eſt, eſſe nomen Slauicum, cuius originis veritas iam in dubium vocarine queat. Praeter haec dicerem, ipſum mare Caſpium nomine vocari Slauico *Chualenſkie morze* et *Slauenſkie.* Haec ſunt Synonyma, qualia ſunt famoſus, glorioſus, et laudabilis. Illae vero portae Caſpiae vocatae erant *Zapouevtene* in plurali, Zapor vero in ſingulari Slauis . , . . aut pilae Caſpiae vocantur *Küle*, vnde concluditur, Slauos Kumanos illic manſiſſe et inde in Pannoniam migraſſe. Quod vero per Poloniam tranſierint, et in illa per certum tempus manſerint, patet ex veſtigiis oppidorum, vt Kumak, Kuman, Kumanow; quorum terminationes ſunt plane Slauonicae.

a) pag. 1. cap. 6.

b) H. N. L. III. cap. 2. et 16.

DE SLAVANIS, SEV SLAVIS GENTE INFINITA.

§. II.

Slauani iam apud *Ptolemaeum* a) inueniuntur, id quod ſtatim illuſtrabimus, ſimulac probauerimus, Slauanos, ſiue Stauanos eſſe vere Slauos. Nam facili errore librarius Slauanos mutare potuit in Stauanos, vti ſtatim oſtendemus. Idem vero auctor eos in regione Venedica ponit, quae extenditur in latitudinem a flumine dicto, Vandalo, id eſt Iſtula vel Viſtula ad fluuium Rubonem vſque, qui eſt Dzwina, et verſus fontem Boryſthenis: in longitudinem vero multo maius occupat ſpatium, id eſt a Boryſthene vſque ad Danubium pertinet.

Alterum argumentum, quod probat, Slauanos eſſe Venedos vel Slauos, inde ducitur, quod nimirum ab aliis Venedicis tribubus cingebantur. Limitibus enim ad ſiniſtram attingebant Ceſtobok, (Ceſtobocos) quos Slauos fuiſſe, nomen oſtendit; nam Ceſtoboki, compoſitum ex duabus vocibus Slauicis, ſignificat habitantes ad ripam, vel latus clarum aut limpidum. Namque ad Boryſthenem pertinebant; ſitus autem eorum omnino ex teſtimonio antiqui illius geographi, vt dixi, talis erat.

Slauani a reliquis partibus cincti erant a Galindis, quos *Samſon*, auctore *Ptolemaeo*, etiam Venedos fuiſſe dicit, et certum eſt, galizna vel pregalizna Slauorum lingua ſignificare glabretum, ſeu ſolum arboribus viduum

a) Lib. III. cap. 5.

viduum. Vltra Slauanos verſus Boream prope mare Slauanis erant vicini Sudeni, quos *Pcolemaeus* a) etiam eſſe dicit Venedos; quorumque *Tacitus* mentionem facit in libro de moribus Germanorum.

Sed reuertamur ad Stauanos ipſos, non Slauanos, qui minime ſitum mutarunt et quorum memoria etiam nunc ſupereſt. In Boruſſia enim hodierna tractus exſtat more germanico vocatus Schalauenſis, cuius metropolis eſt Oleſko, vbi lingua Slauonica etiam nunc adeo viget, vt eos qui ad populum de rebus diuinis verba facturi ſint, oporteat illam diſcere quia alias populus, nunquam linguae germanicae aſſuetus, intelligereet, quae dicerentur.

Certe P. *Kleczewski*, *Abelius*, et *Schlötzerus* eadem de Stauanis ſentiunt, nemo tamen rationem adducit, qua probet, nomen Stauanorum corruptum eſſe, cum tamen hoc manifeſtum ſit. Nam Vox Σλαβάνοι facile mutari poteſt in Σταβανοι mutata literae vnius poſitione, quod quiuis qui codices graecos vſurpauit, affirmabit. Praeterea addi poteſt, in tota hiſtoria nunquam Stauanorum alias mentionem fieri, nec quemquam dicere, quo tandem ii abierint. Contra vero *Iornandes*, tres tum populi, ait, coniuncti erant, et pro vna fere gente habebantur, Vinidi nempe Antae et Slaui. Primi ad Viſtulam et mare Balticum, alteri a Boryſthene vſque ad Danubium in littore maris nigri, tertii vero eorum a Viſtula vſque ad Boryſthenem habitabant, ita tamen, vt ab altera parte Danubium attingerent. Clarum itaque eſt, tertium populum, Slauinos, occupare eam ipſam regionem, in qua *Ptolemaeus* poſuit Slauanos, vel Stauanos, Ceſtobokos et

a) Lib. III, c. 5.

et Galindas. Praeterea ex ſitu prioris populi, Vinidorum nempe, a Viſtula vſque ad mare Balticum, inuenimus Slauanos aut Slauinos, Galindis et vlterius adhuc Sudenis in littore maris Baltici poſitis. *Iornandes* a) . . . qui, hiſtoriam ſuam ante *Procopium* ſcribebat, eundem tamen, quem *Procopius*, ſitum iis attribuit: Quando enim ad Ponti Euxini littus accedit, hic ait, habitabant „olim Cimmerii dicti, nunc Vturgii, vlteriora ad ſeptentrionem (quod eſt verſus Boryſthenem) habent Antarum „populi infiniti.„

Licet narratio *Procopii* de eorum ſitu non ſatis aperta ſit, haec tamen concluſio *populi infiniti* verſus ſeptentrionem de vno eodemque populo in deſcribenda Geographia vſurpata indicat, eos vſque ad mare Balticum pertinuiſſe. Sed *Procopius* cum in littoribus Ponti deſcribendis verſatur, populum infinitum illum commemorat. Sed facile intelligi poteſt, eum ſolummodo loqui de gentibus Pontum Euxinum olim cingentibus, et ſtatim in gyrum quaſi eundo continuare aliarum gentium enumerationem.

Adeo nobis plane perſuaſum eſt, Stauanos eſſe veros Slauonos. Aliae opiniones plurium auctorum, qui Sulanos dicunt etiam eſſe Slauanos, cauſſae noſtrae non obſunt, ſed iidem Sulani apud eundem *Ptolemaeum* inueniuntur, dicti vitio Graecorum Bulani, ex quo errore *Hartknochius*, *Pubitſchka*, et alii nomen Polonorum falſo ducunt, cum plane aliud ſit huius nominis etymon.

Tamen

a) Lib. IV. c. 4. pag. 573.

Tamen ſitus Sulanorum ſatis bene conuenit cum ſedibus antiquis Venedorum, cum ab oriente habeant eosdem Ceſtobocos, quorum ſupra adtuli in medium ſignificationem; a meridie Phrugundiones, ab occidente Viſtulam, a ſeptentrione Phinnos et Venedicos montes, vt apparet ex Tabula VII. Europae apud eundem *Ptolemaeum* a) edit. *Bertii*, ex Tabula VIII. *Melanchthonis* et *Abrahami Ortelii* Synonimia. *Petrus* vero *Marcellus* in origg. barbarorum Sylanos eos appellat, vt *Orbinus* refert *Abbas Melitenſis*. Puto errorem hunc eſſe ex pronunciatione ortum, vt loco Sulani dicerentur Sylani, nam Sylani, nec in *Ptolemaeo*, nec in eodem *Ortelio* nec in *Itineratio Antonini* inueniuntur. Potius fuerunt Slani, qui ſunt Slaui, migraruntque in Palatinatum hodie Plocenſem, eſtque etiam nunc Caſtelanatus Slanenſis in Polonia, eiusque prouincia Maſouia.

Quidquid vero *Mirchondus* Perſicus hiſtoriographus, et *Ismael Abulpheda* Princeps Apameae geographiae Arabico ſermone conſcriptae auctor, contendant de Secaleba, Seclab et Seclabis, eorumque origine et migratione inde a mari Caſpio et Volga flumine verſus Boryſtenem: nobis ſufficit, Slauos in Sarmatia et hodierna Polonia inveniſſe.

DE

a) Lib. III. C. 5. p. 81.

DE IPSO SLAVORVM NOMINE ET ETYMOLOGIA, A MVLTIS VARIO ET INCERTO MODO PERTRACTATA.

§. III.

Ἐτυμολογία, (non vt quidam putant Ἑτοιμολογία id est promtitudo sermonis) notationem, vel veriloquium exprimit, cernitur in verborum deriuatione et maximum in disquirendis gentium originibus adjumentum praestat, si nimirum cum σημασίᾳ seu significatione est conjuncta. Tamen a nemine ea tentari deberet, nisi ab eo, qui vel ex ipsa natione sit, cuius linguam et verba tractat, aut nisi saltem linguam bene calleat. Nam qui non significationes plane tenet; nec intelligit ea, quae legit, vel solummodo deprehendit aliqua, quae similitudinem mentiuntur, quorum discrimen non facile videbit peregrinus, cum sola linguae copia illud agnoscatur. Confirmat haec, quae dixi, *Isidorus*, a) qui recte de his iudicat. „Etymologiae ait cognitio saepe vsum necessarium habet „in interpretatione nominis. „ Quia aliud interdum est rei eiusdem nomen, et quia verbum interpretandum significat etiam rem aliam.

Quid igitur est etymologia, vt ea plerumque vsurpatur? „Audiamus *Cujacium:* b)„ Iuris Consulti bene a „Stoicis sunt imbuti in deducendis nominum originibus; „qui pleraque nomina deriuant, licet eae derivationes „ety-

a) Origg. L. I. c. 28. b) Lib. II. Obs. 37.

„etymologiae proprietatem non habeant, dummodo rei „ſignificatae conueniant.„ Vide etiam *Connanum* Comment. Iuris Ciuilis apud *Schambogen* a) in Miſcellaneis Canonico Ciuilibus.

Multum profecto temporis multamque operam perdiderunt auctores quidam in etymologiis indagandis, cum nomen rei plane non reſponderet, ad quam pertinere debebat, vel quando quis non ſatis attenderat ad antiquam vocis pronunciationem, olimque vſitatum ſcribendi modum. Sic ii, qui Iazyges a Iazyk (Slauica lingua) ducunt, non multum erraſſe viderentur, niſi Iazyges vox latina eſſet; ſed ſi Iazyges inter ſe nominantur Iaswicz, iam nomen illorum cum Iazyk nil habet commune. Sed vti natio iſta in ſpecubus cauſſa frigoris habitabat, alias vocati Trogloditae qui juxta Virgilium

„ — — — ſecura ſub alta
„Otium agunt terra„

ita animal illud Slauice Iazwiec vocatum a vicinis populis ob morem habitandi Iaswiesz nominatis.

Nos ad rem redeamus, et addamus, nil valere verba, vel nomina detorta, aut in tria vel quatuor diuiſa disruptaque, aut per anticipationem, vt *Eccardus* dicit, aut eliſis decem vel duodecim litteris, *Cluuerio*, in Foſſis et Saſſis, vel *Grotio* in Prolegomenis, auctoribus. Nam vt ſimplicis et candidi animi maiores noſtri erant, ita

a) Lib. IX. c. I. Quaeſt. 63. p. 17.

et moribus linguaque ſimplices, adeoque nec artificioſe excogitata nomina apud eos quaerenda ſunt.

Auctores in diuerſas abierunt ſententias, cum quaereretur vtrum nomen Slauus veniat a Slowo, an a Slawa; manifeſtum tamen videtur, venire a Slawa, cum nullus omnino auctorum graecorum latinorumue alio modo, quam Slauus ſcripſerit, nec vnquam Slouus reperiatur, id quod firmius etiam ex ipſa Slauorum lingua patebit. Dalmati enim Croati, Bohemi, Morauique ſe ſingulari nomine vocant Slauan, Poloni antiquitus vt in Chronicis, Slauanin vel Slauianin, Ruſſi Slauak. Quod igitur Slawo ſignificat *verbum*, inde aliqui eos quaſi verboſos dici voluerunt; ſed hinc etymon nominis noſtri, non recte duci infra ſpatebit.

Aliae praeterea auctorum diſcrepantiae in exprimenda, per verbum latinum aptum, voce Slawa occurrunt. Maxima enim pars gloriam ſignificare dicit, ſed mea quidem ſententia non poeniteat accuratius hanc Synonimiam explicaſſe, adeoque decreui, omnia ſimilia, quae hic occurrere poſſunt verba, Lectori docto ante oculos ponere. Sic

Celebritas dicitur Slawa, e. g. celeber vir, Slawny Maoz.

Gloria proprie eſt Chwala, e. g. gloria Patris, Chwala Oyça.

Sic ſaepe dicimus diſtinguendi ratione Czesc y Chwala, adoratio et gloria.

Laus

Laus eſt Pochwala v. c. laudetur Ieſus Chr. Pochwalony Ieſus Chr., de quibus verbis infra etiam agam.

Adoratio eſt Poklon v. g. Soli Deo adoratio debetur, Samemu Bogu poklon nalezy.

Veneratio eſt Wielbienie v. c. quem veneratur anima. Ktorego wielbi dusza.

Fama conuenit cum voce Wiesc v. g. fama fert, wiesc nieſie.

Fama aliter etiam Imienie.

Mir eſt pax; quam vocem ſi quis forte miretur, cur hic ſuperinduxerim reliquis, is ſciat, me ideo addidiſſe, quia majorum noſtrorum nomina fere has duas tantum terminationes in Slaw et mir habebant; alterum eſt, quia multi fortaſſe nescire poſſent rationem, quare maxima pars antiquorum nominum Slauicorum in mir non mer exeat. Sufficiat jam vnum exempli cauſſa adducere, ſimulque ejus correctionem ſuſcipere. Kazymir enim eſt, *jubet pacem:* Kazimir vero, vt ex latino rediit idiomate, jam fit ambignum, cum etiam ſignificet *laedit pacem. Mer* autem aut *Mar* nullam apud nos habet ſignificationem.

Manifeſtum ex his etiam eſſe puto, vaniſſimas eſſe iſtas rationes, quibus ii nituntur, qui dicunt Sclauos, cum victi eſſent quaſi mancipia, Sclauos vocatos eſſe, vt et Serbos, praelio ſuperatos et captos ſeruos, Serbos fuiſſe appellatos. Nonne Germani Sicambri Franci et Alemanni a Romanis Barbari ſunt habiti, anne alio ab

iis tractati sint modo, quam barbarico: ergo Pagani vocabantur vnde alii volunt venire Villanos: denique haec sors erat infelicium captiuorum, sed non nationes ita vocabantur. Nec adeo eos victos Romani Seruos aut mancipia quasi gentis nomine nuncuparunt, sed hoc ex sola corruptione linguae accidit. Nec vnquam a *Porphyrogeneta* aliter vocantur, nisi Slaui et Slauoni aut ab *Adamo Bremensi*, antiquo scriptore natione Germano: pari modo Serbi inter se Serbi vocabantur, quod est animosus.

Nunc pro illa voce Celebris, quae Slauice et Polonice est Slawny, occurrit etiam Ludny numerosus vel homoglottus, quod vtrumque nomen Slauis optime conuenit. Celeberrimi enim certissime erant tantarum regionum a mari nigro ad Adriam, ab albo ad Balticum, quod antiquis Geographis oceanus dicebatur, pertinentium domini. Per vocem Celebris etiam exprimitur Ludny numerosus. Homoglottorum vero nomen iis conuenit, quia per quinquaginta fere prouincias eadem lingua omnes vtebantur. Nomen igitur Celebritas ea quae dixi plane exprimit.

A verbo igitur Slowo vt quasi verbosi dicerentur, non potest deriuari nomen Slauorum, quia semper per a scribitur, sed potius a Slawa, quod est laus, sic laudabiles sunt, vel celebres, quia qui est celeber, is certe laudem meretur. Sed etymologia sola nobis non sufficit; inquirendum potius est, quinam fuerint hi Slaui, vel haec gens laudabilis, adeoque ad reperiendam eorum originem procedo. Magnum optimorum auctorum numerum legi, qui dicerent eosdem esse, quos Henetos

vel

vel Venetos antiquitas dixit. Hic denuo ad veritatem peruenio, ope etymologiae graecae, deprehendoque Henetos esse laudabiles ab αἰνέω vel transposito spiritu ἁινέω laudo, vnde deriuantur ἁινετοὶ, laudabiles. Non temere igitur auctores affirmant, Slauos esse Henetos. Maxime probabilis et inde haec fit vocis Heneti deriuatio, vnde postea Veneti, sunt dicti, cum veteres summa laude nationem Heneticam judicarint dignam, quam appellarent laudabilem, atque iam in *Homero* et *Strabone* haec leguntur. „Heneti gens nobilissi„ma.„ Sic ergo veritate verbi, sic significatione vocis, duplici argumento nititur mea de origine eorum sententia. Quia vero haec materia satis ample sub Henetis pertractatur, hic tantum de Henetis addam in Pomerania sub Regno Zemomysli Ducis Poloniae versus annum 705. eos adfuisse.

In his etiam auctoritate nitimur scriptorum Polonorum e. g. *Sarnickii, Pastorii, Zentneri* in rarissimo et elegantissimo opere, peregrinorumque, vt *Chronici Carionis* per Melanchthonem et Peucerum, *Reisneri, Reinouitii,* aliorumque multorum, qui dicunt, Slauos, cum veri Veneti sint, esse etiam Henetos. His ea etiam firmantur, quae initio dixi, eos omni tempore se mutuo appellauisse Slauanos. Quod vero *Ptolemaeus* eos Stauanos appellat, hujus exigui discriminis caussam indicaui; nec quaestio jam est, nisi de eo quod migratio, anno 450. testibus scriptoribus Russicis ab iis facta, inde a Danubio et vrbe Slauino, (quae vrbs non multum ab eo loco distat, vnde versus Septentrionem progressi sunt) ostendat, nomen Slauanos aut Slauinos, venire ab vrbe Slauino, de qua re *Iornandes* satis copiose

differit

differit in historia Gothorum. a) Hic vero nobis, Slauanos a Ptolemaeo in hodierna Borussia constitutos pro Slavis seu Slauanis habentibus, nec Iornandis, nec Russicorum scriptorum auctoritas obstat, a quibus vrbs Slauinum, prope Danubium sita, Slauorum sedes eorumque migrationes, circa supra dictum annum memorantur. Attamen quis ignoret, Slauicam gentem ad Sinum Venedicum primas habuisse sedes? Ex iis vna aliqua tribus gentis Venedicae, ii nempe, qui Ptolemaeo scribente, in Prussia Slauani fuerant, versus Danubium migrantes, ibique Slauino vrbe fundata sedem habentes, inde sub Slauorum nomine migrationes istas, a Russicis scriptoribus memoratas, saeculo quinto medio, eo tempore, quod inter Ptolemaei et Iornandis aetatem est praeterlapsum, suscipere potuerunt; altera parte versus, Kiouiam, altera Danubio transjecto versus Illyricum procedente, qui ipsi deinde sub Totila Romam deuastarunt, victores adeo potius Romanorum, quam serui et a seruitude Slaui appellati; tertia tandem eorum parte ad Danubium in antiquis sedibus relicta, quae Iornandis saltem, qui sub Iustiniano, adeoque seculo sexto scripsit, temporibus, multo post ibi est reperta.

a) pag. 16.